



1870.


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

OBSERVATIONES
DE
USU PARTICULARUM
IN LIBRIS
QUI VULGO HIPPOCRATIS NOMINE
CIRCUMFERUNTUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE ATQUE CONSENSU
IN
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS
SCRIPSIT

H. KÜHLEWEIN
ARNSTADIENSIS.

GOTTINGAE 1870.
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
GUIL. FR. KAESTNER.

Ἰητρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Il. Δ, 514.

Libros qui vulgo Hippocratis Coi nomine circumferuntur, non ad eundem omnes referri posse auctorem jam satis constat, quamvis de singulorum scriptorum origine diversae sint opiniones hominum doctorum. Qui autem quibus rebus et quantopere inter se discrepent, bene cognoscere vult, is praeter rationem medicam in iis explicatam ad formam orationis, ut Ermerinsii verbis utar (Erm. praef. I, p. II), maxime spectet necesse est, qua cum et dialectus et usus scribendi contineantur, illa, quod nescio an omnium difficillimum sit ad inquirendum ei, qui de Hippocratis scriptis disserturas est (cf. Ermerins. proleg. I, p. X sqq.) omissa, in hac indaganda majorem operam collocavi. Et particulas quidem elegi, de quibus scribam, hac de causa, quod singulas orationis partes conjungunt, et quid una sententia ad alteram valeat indicant et colorem orationi maxime praebent. Inde quanta sit earum vis elucet, quantumque ex earum usu cognosci et dijudicari possit. Sed prius quam ad singula transeo, monendum mihi videtur, Hippocratis orationem, a natura ipsa profectam, illa antiqua sim plicitate, quam apud Homerum et Herodotum admiramur, imprimis insignem esse, sed ita, ut elegantiam nusquam desideres. Itaque cum nihil artificiosum, nihil tumidum, nihil obscurum in ea insit, atque ut paucis dicam, simpliciorem cogitare nequeas, sententiae plerumque simplicissima ratione altera alteri adnectuntur, unde factum est, ut particulae copulativae (*καί*, *τὲ*) et adversativae (*δέ*, *μὲν-δέ*) numero omnes ceteras multo superent earumque usus latissime pateat, ita ut si Hippocratem evolveris, non paucis locis de copia earum par-

Ἰητρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Il. Λ, 514.

Libros qui vulgo Hippocratis Coi nomine circumferuntur, non ad eundem omnes referri posse auctorem jam satis constat, quamvis de singulorum scriptorum origine diversae sint opiniones hominum doctorum. Qui autem quibus rebus et quantopere inter se discrepent, bene cognoscere vult, is praeter rationem medicam in iis explicatam ad formam orationis, ut Ermerinsii verbis utar (Erm. praef. I, p. II), maxime spectet necesse est, qua cum et dialectus et usus scribendi contineantur, illa, quod nescio an omnium difficillimum sit ad inquirendum ei, qui de Hippocratis scriptis disserturas est (cf. Ermerins. proleg. I, p. X sqq.) omissa, in hac indaganda majorem operam collocavi. Et particulas quidem elegi, de quibus scribam, hac de causa, quod singulas orationis partes conjungunt, et quid una sententia ad alteram valeat indicant et colorem orationi maxime praebent. Inde quanta sit earum vis elucet, quantumque ex earum usu cognosci et dijudicari possit. Sed prius quam ad singula transeo, monendum mihi videtur, Hippocratis orationem, a natura ipsa profectam, illa antiqua sim plicitate, quam apud Homerum et Herodotum admiramur, imprimis insignem esse, sed ita, ut elegantiam nusquam desideres. Itaque cum nihil artificiosum, nihil tumidum, nihil obscurum in ea insit, atque ut paucis dicam, simpliciorem cogitare nequeas, sententiae plerumque simplicissima ratione altera alteri adnectuntur, unde factum est, ut particulae copulativae (καί, τὲ) et adversativae (δέ, μὲν-δέ) numero omnes ceteras multo superent earumque usus latissime pateat, ita ut si *Hippocratem* evolveris, non paucis locis de copia earum par-

ticularum fortasse mireris. Quae quum ita sint, has primum tractandas mihi proposui, sperans fore ut earum usu cognito atque exposito ad Hippocratis scripta emendanda aliquantulum conferam. De nonnullis aliis particulis ea quae mentione digna mihi visa sunt et si quid ad discernendos singulos libros obtulerunt postea dicam. Atque ut dicendi rationem, qualis sit in his libris de medicina scriptis, cognoscerem, perlegi hos libros: de aëre aquis locis, de capitis vulneribus, de victus ratione in morbis acutis, Epidemiorum libros I, II, III, IV, VI, Aphorismos, de humoribus, Praenotiones Coacas, Prorrheticum I, Prognosticum, de morbo sacro, de natura hominis, de locis in homine, de victu salubri, de flatibus, libros de morbis I, II, III, de affectionibus, de internis affectionibus, de fractis, de officina medici, de medico. Accedit praeter jus jurandum liber qui in editione Ermerinsiana inscribitur: Lex, de arte, de vetere medicina, quorum trium titulorum apud ceteros editores suo quisque proprio libro inscriptus est, quos in unum coalesci Batavus editor voluit.

De horum librorum auctoribus et antiquorum et recentiorum Hippocratis interpretum opiniones mirum in modum inter se differunt. Sed cum quid singuli senserint, enarrare longum sit neque hoc loco necessarium, hoc dixisse sufficiat, inter tot scripta perpauca tantum in graviorem dubitationem, utrum seni Coo adscribenda an abroganda sint non vocata esse. Ne igitur varia misceamus, haec quae sunt de aëre aquis locis, de capitis vulneribus, de victus ratione in morbis acutis, primum pertractabimus in singularum particularum usu describendo, quo facilius eo cognito, quid in reliquis diversum sit videamus; tum sequantur libri, in quibus scriptorum vere Hippocrateorum reliquiae inesse dicuntur eique, de quibus, num ad Hippocratem ipsum referantur, dubitatur. Denique eos, qui subditicii videntur esse, perlustrabimus ita ut in dissertatione eundem fere ordinem librorum servemus, quo inscriptiones modo enumeravimus.

Caput I.

De particulis adversativis.

Primum disseram de particula *μέν*, quae quidem per se non adversativa est, sed cum particulae adversativae, quae est *δέ*, multo saepius opposita inveniatur, quam per se posita, quod inter particulas adversativas eam tractaturi sumus, nihil erit alienum. Nam particulam *μέν*, cui *δέ* non respondet, minus usitatam esse cum e ceteris scriptoribus graecis satis notum est, tum sermone Hippocratis, quem admirabili concinnitatis studio maxime in particulis ponendis duci videbimus, egregie comprobatur atque confirmatur. Sed ubi particulae *μέν* non respondet *δέ*, videndum est, utrum aliae particulae adversativae hujus locum obtineant, an *δέ* propter admissam anacoluthiam desit an id quod sententiae particulâ *μέν* inlatae opponatur omnino non sit additum, ita ut *μέν* id sit quod grammatici solitarium vocare solent. Illud, quod primum posui in libro, qui est de cap. vulneribus nusquam admissum est; in libro, qui est de aëre aquis locis semel *μέντοι* pro particula *δέ* positum invenitur, quem usum exemplis Atticorum illustrant Zeunius ad Viger. p. 536, b, Hartung, über die Partikeln der griech. Sprache, II, 397. Verba, quae in illius libri §. 32 (I, 295) [1]) leguntur, haec sunt: *καὶ μὲν εἰ ποταμοὶ ἐνείησαν˙... εἰ μέντοι ποταμοὶ μὲν μὴ ἐνείησαν.* Praeterea huc referri possunt ei loci, ubi prius membrum inducitur verbis *πρῶτον μέν*, alterum vocula *ἔπειτα,* particula adversativa non addita, (cf. de aër. aqu. loc. §§. 3 (I, 281), 4, 5 (I, 282) cum appositio per ipsam vocem *ἔπειτα* satis indicetur. Sed de his postea accuratius dicemus. Sed de aër. aq. loc. §. 23 (I, 290) ubi legis: *τοὺς μὲν γὰρ στρατεύεσθαι εἰκὸς καὶ ταλαιπωρέειν καὶ ἀποθνήσκειν ἐξ ἀνάγκης ὑπὲρ τῶν δεσποτῶν, ἄπο τε παιδίων καὶ γυναικὸς ἐόντας καὶ τῶν λοιπῶν φίλων . καὶ ὁκόσα μὲν ἂν χρησιὰ καὶ ἀνδρεῖα ἐργάσωνται, οἱ δεσπόται ἀπ᾽ αὐτῶν αὔξονταί τε καὶ ἐκφύονται, τοὺς δὲ κινδύνους καὶ θανάτους αὐτοὶ καρποῦνται . . . . ὥστε*

1) Numeri uncis inclusi volumen et paginam editionis Foësianae indicant.

καὶ εἴ τις φύσι πέφυκε ἀνδρεῖος καὶ εὔψυχος ἀποτρέπεσθαι τὴν γνώμην ἀπὸ τῶν νόμων. Μέγα δὲ τεκμήριον τούτων. ὁκόσοι γὰρ ἐν τῇ Ἀσίῃ Ἕλληνες ἢ βάρβαροι μὴ δεσπόζονται, ἀλλ᾽ αὐτόνομοί εἰσι καὶ ἑωυτοῖσι ταλευπωρεῦσι οὗτοι μαχιμώτατοί εἰσι πάντων, τοὺς γὰρ κινδύνους ἑωυτῶν πέρι φέρονται κτλ., primo obtutu *μέν* omnino nihil habet quo spectet. Cum enim Hippocrates quibus rebus homines liberi ab eis differant exponat, qui sub dominorum potestate sint, oppositio *τοὺς δὲ*, quam illa verba *τούς μὲν* postulant, frustra quaeritur. Nec tamen deest, sed reperitur in proximis inde a verbis: *ὁκόσοι γὰρ ἐν τῇ Ἀσίῃ Ἕλληνες ἢ βάρβαροι μὴ δεσπόζονται κτλ.* sed cum scriptor haec ita addat, ut exemplo sint, quo priora confirmet, rem e re contraria de monstrando, alterum membrum non ita conformatum invenimus, ut exspectavimus, qua re lenis anacoluthia quaedam in verbis in est. Similiter comparata sunt quae leguntur de cap. vuln. §. 22 (I, 908) *Ἢν δὲ ὑποπτεύσῃς μὲν τὸ ὀστέον ἐρρωγέναι κτλ.* qui proxima diligentius legit, membrum quod illis respondeat, non deesse, sed verbis: *τούτων δὲ οὕτω γενομένων, ἢν μὴ διαγιγνώςκῃς εἰ ἔρρωγε τὸ ὀστέον* oppositionem effici neque particulam *δέ* desiderari, sed in praemissis genitivis inveniri videbit, non eo loco, quo secundum usum vulgarem legi debebat. Collocatio enim verborum haec fere exspectatur: *Ἢν δὲ, τούτων οὕτω γενομένων, μὴ δίαγιγνώσκῃς.*

Neutra ratione explicari potest particula *μέν* quam legis de aër. aqu. loc. §. 3 (I, 281) in verbis: *ὁκόσοι μὲν γὰρ κεφαλὰς ἀσθενέας ἔχουσι οὐκ ον εἴησαν ἀγαθοὶ πίνειν.* Nam neque *δέ* aut *μέντοι* aut *ἀτάρ* aut alia particula quae respondeat, sequitur, neque loci structuram anacoluthia turbatam esse jure contenderis. His fortasse commotus Coraës particulam *μέν* ejecit, non ignorans simul, ut opinor, hujus generis exemplum alterum neque in hoc libro exstare neque in eo, qui est de cap. vulneribus. Sed cum omnes libri editi et scripti particulam ferant, eam servandam esse censeo, hoc loco id a nobis deprehensum esse ratus, quod supra tertio loco posuimus, rem per particulam *μέν* induci ac poni, cui quid ex altera parte respondeat, omnino non adjicitur, quia *non desideratur, aut certe*, si quis desideret, e totius sen-

tentiae ratione facile intelligitur. Atque in locis ita comparatis propria vis particulae *μέν*, quae est affirmativa, maxime apparet, id quod confirmat liber qui est de victu acutorum, e quo plura exempla jam adlaturus sum. Legis enim § 7 (I, 384) *Ἀκαταμάθητα μὲν οὖν καὶ τάδε ἐστί*, ubi vocem *ἀκαταμάθητα* affirmari et majore vi pronuntiandam esse, etiam inde concluditur, quod hoc loco iteratur. Nam paullo ante: *Δοκέει δέ μοι*, inquit, *ἄξια γραφῆς εἶναι ταῦτα μάλιστα, ὁκόσα τε ἀκαταμάθητά ἐστι τοῖσι ἰητροῖσι*. Sed mirum est, quod, ut hoc loco, ubi ubi in hoc libro *μέν* solitarium invenitur, cum particula *οὖν* conjungitur, ut §. 10 (I, 385): *Πτισάνη μὲν οὖν μοι δοκέει ὀρθῶς προκεκρίσθαι τῶν σιτηρῶν γευμάτων*. §. 16 (I, 385): *Ἢν μὲν οὖν μὴ προςτιμωρήσῃ τις ὁκόσον δέεται αὐτάρκης εἶναι ὁ τρόπος τῆς τοιαύτης πτισανορροφίης, πολλαχῇ βεβλάψεται*. §. 11 (I, 385) *ὁκόσοι μὲν οὖν ὅλῃσι πτισάνῃσι χρέονται κτλ.* Quantopere ceterum hic liber ab illis duobus, quos antea tractavi, discrepet, ex eo intelligitur, quod *μέντοι* particulae *μέν* non semel respondet, sed his locis: §§. 22 (I, 387); 27 (I, 388); 33 (I, 389) *μὲν οὖν* . . (34) *μέντοι*, 37 (I, 389); 39 (I, 390); 46 (I, 391); 47 (I, 392) *μὲν οὖν* . . *μέντοι*, 57 (I, 393); 58 (I, 393); 59 (I, 394); 62 (I, 394); 67 (I, 395) *μὲν οὖν* . . *μέντοι*. Uno tamen loco §. 46 (I, 391) sic legitur: *Εἴ τις ἕλκος λαβὼν αὐτίκα ἀρξάμενος ἐκ πρώτης κατακείμενος ἰητρεύοιτο . . . ἀφλέγμαντον μὲν ἂν οὕτω εἴη μᾶλλον καὶ ὑγιὴς πολλῷ θᾶσσον ἂν γένοιτο ἢ εἰ περιπλανώμενος ἰητρεύοιτο, εἰ μέντοι πεμπταῖος ἢ ἑκταῖος ἐὼν . . . μᾶλλον ἂν πονέοι . . . εἰ δὲ καὶ πολλὰ ταλαιπωρήσειε ἐξαπίνης, πολλῷ ἂν μᾶλλον πονήσειε*. Respondet igitur particulae *μὲν* in apodosi collocatae primum *μέντοι*, tum *δέ*. Accedit quod quattuor locis oppositio per particulam *ἀτάρ* indicatur, cf. §. 26 (I, 388) *περὶ μὲν οὖν ῥοφήματος* . . *ἀτὰρ καὶ περὶ ποτοῦ*, §. 49 (I, 392) *ἐς πάντα μὲν οὖν εὔχρηστον ταῦτα εἰδέναι, ἀτὰρ καὶ περὶ οὗ ὁ λόγος ἦν*, §. 56 (I, 393) *ὕδατος μὲν* . . *ἀτὰρ καὶ οἴνου*. Maxime vero hoc variandi studium e §. 47 (I, 392) elucet, cujus singulae partes ita se excipiunt: *Πολλαπλασίη μὲν οὖν κατὰ κοιλίην ἡ βλάβη ἐστὶ . . . δεῖ μέντοι καὶ . . . ἀτὰρ καὶ κατὰ τὸ ἄλλο σῶμα . . . δεῖ δὲ καὶ τούτοισι τὴν κοιλίην ἐλινύειν*, cf. Plat.

Prot. 335, D.: *ἀεὶ μὲν ἔγωγέ σου τὴν φιλοσοφίαν ἄγαμαι, ἀτὰρ καὶ νῦν ἐπαινῶ καὶ φιλῶ, ὥστε βουλοίμην ἂν χαρίζεσθαί σοι, εἴ μοι δυνατά δέοιο. νῦν δ'ἐστὶν ὥσπερ ἂν εἰ δέοιο κτλ.* Denique duobus locis vel per particulas *γὲ μήν* oppositionem indicatam esse affero, quod fortasse mirum videtur, cum, quomodo fiat, ut particulae affirmativae, quales sunt *γὲ μήν*, oppositionem inferant, primo obtutu non facile sit ad intelligendum. Sed veram hujus usus rationem videtur vidisse Klotzius ad Devar. II, p. 343, cum de ea re haec dicit: *Γὲ μήν* particulis tribuit Devarius pag. 55 vim quandam adversativam, idque rectissume fecit, si earum usum spectamus. Quamquam per se neutra particula adversativam vim habet. *Γὲ* enim particula id agit in his locis, ut ea res, ad quam referenda est ipsa, cum restrictione efferatur, *μήν* autem rem ita profecto dicit esse. Sed ut saepe in aliis vocabulis hoc factum est, sic etiam in particula *μήν* per adfirmationem nata est quaedam oppositionis significatio. Ita legimus de vict. acut. §. 40 (I, 390): *Πυθμενόθεν μὲν οὖν οὐκ ἴσασι οὐθ' οἱ τῇσι κριθώθεσι πτισάνῃσι χρεόμενοι, ὅτι αὐτῇσι κακοῦνται.. οὔτ' αὖ οἱ τῷ χυλῷ χρεύμενοι γιγνώσκουσι, ὅτι αὐτοῖσι βλάπτονται . . . Τόδε γε μὴν καὶ φυλάσσουσι καὶ γιγνώσκουσι ὅτι μεγάλην τὴν βλάβην φέρει κτλ.* deinde §. 3 (I, 392): *Μελίκρητον δὲ πινόμενον διὰ πάσης τῆς νούσου ἐν τῇσι ὀξείῃσι νούσοισι τὸ ἐπίπαν μὲν τοῖσι πικροχόλοισι καὶ μεγαλοσπλάγχνοισι ἧσσον ἐπιτήδειον, ἢ τοῖσι μὴ τοιούτοισί ἐστι, διψῶδές γε μὴν ἧσσον τοῦ γλυκέος οἴνου.* sequuntur plura alia, propter quae aqua mulsa laudatur, quare haec prioribus, quibus universa quaedam improbatio continetur, sine ullo dubio opposita sunt. Apud Atticos (cf. Hartung. part. graec. II. 386, sqq.) eundem usum non desiderari testatur Xen. Cyr. IV, 6, 5: *κ'ἀγὼ μὲν . . . ὅ γε μὴν πατήρ.* VIII, 8, 9: *πρόςθεν μὲν ... νῦν γε μήν.*

Haec fere de usu particulae *μέν*, cui *δέ* non respondet, ex illis tribus libris proferenda erant, e quibus hoc certe apparet, librum, qui est de victu acutorum a reliquis duobus ea re multo magis differre, quam hi inter se discrepent. Jam igitur de ejusdem particulae usu, qualis in reliquis inveniatur, disputaturus statim commemoro, in libro Praedicto-

rum I, in Prognostico, in libris qui inscribuntur de officina medici et de victu salubri usum vulgarem non laesum esse videri, ita ut, ubi *μέν* legitur, particulam adversativam, quae huic respondeat, non desideres.

Jam sequantur libri Epidemiorum I et III, qui si hunc usum spectamus, in medio inter libros, qui sunt de aër. aqu. locis et de victu acutor. ponendi sunt. Sed singula exempla consideremus. Legimus I, 14 (II, 951): *Ἦν δὲ τὰ παθήματα τῶν καύσων, οἷσι μὲν καλῶς καὶ δαψιλέως ἐκ ῥινῶν αἱμορραγήσειε, ἐν τῇ καταστάσι ταύτῃ ἀποθανόντα. Φιλίσκῳ γὰρ καὶ Ἐπαμινώνδῃ καὶ Σιληνῷ τεταρταίῳ καὶ πεμπταίῳ σμικρὸν ἀπὸ ῥινῶν ἔσταξε.* Sine dubio subaudiendum est hoc fere: *οἷσι δὲ μὴ καλῶς καὶ δαψιλέως ἐκ ῥινῶν αἱμορραγήσειε, ἀπέθανον,* ut et *μέν* et *γὰρ* particulae habeant, quo referantur. Tum in proxima paragrapho (II, 952) haec verba sunt: *Πολὺς μὲν οὖν καὶ μάλιστα ὁ χυμὸς οὗτος ἐπεπόλασε,* in quibus verbis *ὁ χυμὸς* ad sanguinis maxime profusionem spectat, quare cum proximis: *ἐπεὶ καὶ οἷσι περὶ κρίσιν οὐχ ἡμορράγησε* diversum quid inferatur, his oppositionem contineri existimandum est. Particulam *μέντοι* in altero membro pro *δέ* positam, quo gravior fit oppositio, invenimus I, 22 (II, 958) III, II, XVI, 8 (II, 1104), particulam *ἀτάρ* ita usurpatam I, 18 (II, 954) et 24 (II, 961); III, stat. pest. §. 4 (II, 1083) et §. 10 (II, 1086).

In reliquis Epidemiorum libris *μέν* solitarium exstat: II, sect. 3, 11 (II, 1028): *πρὶν μέν;* IV, 1 (II, 1120): *ταύτῃ μέν;* ibid. 23 (II, 1129): *φλύκταιναι μέν;* ibid. 45 s. f. (II, 1137): *ὅσαι μέν;* VI, sect. 4, 4 (II, 1180): *μάλιστα μέν;* ibid. sectio 8, 11 (II, 1200) *ἡλικίην μέν.* — *Μὲν* — *μέντοι* in his libris nusquam invenitur. — *Μὲν* — *ἀτάρ* semel in quoque: Legitur enim II, sect. 3, 16 (II, 1029); IV, 20 (II, 1127); VI, sect. 3, 11 (II, 1175).

In hac re simillime comparatus est liber Aphorismorum; semel enim exstat *μὲν* — *ἀτάρ* in sect. V, 69 (II, 1256), ubi legis: *Ῥίγεα ἄρχεται γυναιξὶ μὲν ἐξ ὀσφύος μᾶλλον καὶ διὰ νώτου ἐς κεφαλὴν . . ἀτὰρ καὶ ἀνδράσι μᾶλλον ὄπισθεν ἢ ἔμπροσθεν τοῦ σώματος,* quam sententiam eisdem fere verbis iteratam invenimus Epid. II, sect. 3, 16 (II, 1029) et VI, sect. 3, 11

(II, 1175). Deinde ne in hoc quidem libro *μέντοι* particulam *μέν* usquam sequitur. Ceterum aliquoties *μέν* cum aliis particulis conjunctum ita ponitur, ut *δέ* non respondeat. cf. sect. 1, 14 (II, 1243): *ὑπὸ πολλῶν μὲν γὰρ ἀποσβέννυται,* sect. 3, 7 (II, 1247): *καὶ ἢν μὲν,* sect. 5, 59 (II, 1255) *κ'ἢν μὲν.* His adjicio librum de humoribus inscriptum, cujus auctor neque *μέντοι* neque *ἀτάρ* particulis ita usus est, ut in e is libris quos supra perlustravimus, eas vidimus usurpari. Attamen particulas *μὲν . . τὲ* inter se respondentes aminadvertimus (§. 9) in verbis §. 9 (I, 49): *οἷα τὰ σώματα, μύλης μὲν τριφθείσης πρὸς ἑαυτὴν, ὀδόντες ἡμώδησαν, παρά τε κοῖλον παριόντι σκέλεα τρέμει, ὅταν τε τῇσι χερσί τις, ὧν μὴ δεῖται, αἴρῃ, αὗται τρέμουσι,* ubi quod ante verba *τῇσι χερσί* plurimi codices praebent *δέ* pro *τὲ* non obstat, quominus id quod modo dicebam, statuamus. Qua structura, quae a Platonis usu dicendi non aliena est, (cf. Rep. 476 B, quod exemplum adfert Hartung griech. Part. II, 410: *χωρὶς μὲν οὓς νῦν δὴ ἔλεγες . . . καὶ χωρὶς αὖ περὶ ὧν ὁ λόγος)* apud Pindarum vero non raro deprehenditur [1]) anacoluthon quoddam effici recte grammatici dicunt (cf. G. Hermann ad Viger. p. 841. Klotz ad Devar. II, 659), quod cum *μέν* de diversis alicujus rei rationibus agendum esse significet, ea quae sequuntur non disjunguntur, sed ut res pares adjunguntur. In his libris medicorum pauca hujus structurae exempla exstant. Praeter illa verba e libro, de quo nunc agimus, in venitur e. c. de vict. acut. spur. §. 3 (I, 396). In libro autem de humoribus inscripto *μέν* solitarium duobus aliis locis exstat. cf. §. 11 (I, 49) *ἔνδοθεν μέν* et §. 18 (I, 51) *ὅσαι μέν.*

Ab hoc libro praenotiones Coacae eo prorsus differunt, quod *μέν* vere solitarium in nulla earum reperitur. Ubi enim *δέ* non sequitur, aut particulae *μέντοι* et *ἀτάρ* locum ejus obtinent ut in Coaca 200 (I, 150); 403 (I, 183); 546 (I, 206) aut etiam *μὴν . . . γὲ* respondet. cf. Coac. 400 (I, 183): *ἀλγηδὼν μὲν γίγνεται παρ' ὅλον, οὐ μὴν παραλύονταί γε.*

---

1) cf. praeter exempla, quae congessit G. Hermannus ad Viger. *p. 836 ed. tert. Pyth. VI, 39.* Ol. IV, 22.

Jam transire liceat ad librum, qui inscribitur lex, de arte, de vetere medicina, in quo *δέ* post particulam *μέν* non minus frequenter iisdemque fere legibus opprimitur atque in libro qui est de victu acutorum. Primum enim id quod sententiae particulâ *μέν* illatae respondeat, non raro omissum est, ubi ad particulam *μέν* altera accedit. Accedit autem non solum *οὖν*, verum etiam *γάρ*. Illud enim invenitur §§. 13 (I, 5) et 18 (I, 8), hoc reperimus §§. 11 (I, 4); 16 (I, 6); 33 (I, 14). Deinde illud quod nusquam vidimus, nisi in libro qui est de victu acutor., in hoc scripto iterum deprehendimus. Particulae enim *γὲ μήν* sua vi id quod ex altera parte affertur, magnopere efferentes loco particulae *δέ* oppositionem indicant, ut §. 15 (I, 6) in his verbis: *Πρὸς μὲν οὖν τὰ φανερὰ τῶν νοσημάτων οὕτω δεῖ εὐπορέειν τὴν τέχνην, δεῖ γε μὴν αὐτὴν μηδὲ πρὸς τὰ ἧσσον φανερά ἀπορέειν*, et in §. 5, quae proxime antecedit, haec legis: *Τῶν μὲν δὴ τοιούτων πάντων ἐν ἅπασι τὰς ἀκέσιας ἀναμαρτήτους δεῖ εἶναι, οὐχ ὡς ῥηϊδίας, ἀλλ' ὅτι ἐξεύρηνται. ἐξεύρηνταί γε μὴν οὐ τοῖσι βουληθεῖσι, ἀλλὰ τούτων τοῖσι δυνηθεῖσι.* Particulae *μέν* . . *μέντοι* bis inveniuntur, §§. 9 (I, 3) et 23 (I, 10), hoc loco in anaphora: *τῆς μὲν ἐς τὴν τέχνην . . τῆς μέντοι ἐς τὴν τέχνην.* In hoc libro solo exstat exemplum particulae *μέν* more Platonis in responso affirmantis positae, cf. §. 40 (I, 18): *εἰ γλυκὺς χυμὸς ἐὼν μεταβάλλοι ἐς ἄλλο εἶδος . . . ποῖόν τις ἂν πρῶτον γένοιτο, πικρὸς, ἢ ἁλμυρὸς, ἢ στρυφνὸς ἢ ὀξύς; Οἶμαι μὲν, ὀξύς.*

Huic subjicio librum qui est de fractis propterea, quod cum voculas *μέντοι* et *ἀτάρ* particulae *μέν* respondentes in reliquis, quos nondum tractavimus, rarissime inveniamus, in hoc aliquot exempla exstant, cf. §. 6 (I, 755) *μάλιστα μὲν . . ἀτὰρ καὶ*; §§. 42 (I, 177) et 55 (de articulis I, 753); *μὲν οὖν . . ἀτὰρ καὶ*; §. 11 (I, 759): *ταῦτα μὲν οὖν . . τὰ μέντοι. Μέν* solitarium reperitur in hoc libro §. 9 (I, 758).

In libro, qui est de locis in homine *ἀλλά* particulae *μέν* bis oppositum est, qua re graviorem oppositionem effici manifestum est. Legis enim §. 1 (I, 407): *Ἐμοὶ δοκέει ἀρχὴ μὲν οὖν οὐδεμία εἶναι τοῦ σώματος, ἀλλὰ πάντα ὁμοίως ἀρχὴ καὶ πάντα τελευτή.* Insigne est exemplum, quod legis

§. 34: ἡ μὲν γὰρ γυμναστικὴ οὐ δεῖται μεταλλαγὰς ποιέειν, ἀλλ' ἡ ἰητρική . τῷ μὲν γὰρ ὑγιαίνοντι οὐκ ἀρήγει ἐκ τοῦ παρεόντος μεταλλάσσειν, τῷ δ'αλγέοντι, in cujus sententiae ultimo membro δέ idem valet, quod ἀλλά. Sed ut ex his duobus exemplis apparet, μέν et α'λλά particulae inter se commutari nequeunt, nisi enunciatum particulâ μέν inductum vim negativam habet (cf. Klotz ad Devar. II, p. 3).

De reliquis libris, quos legi, hoc usu non multum inter se diversis, jam in universum disputare liceat. Atque primum quidem per omnes fere hos libros formula quae est πρῶτον-μὲν . . . ἔπειτα satis frequenter usurpata est. Invenitur enim his locis: de affection. §§. 37 (I, 525) et 61 (I, 530), de nat. hom. §. 5 (I, 226), de morbis II, 26 (I, 469), de locis in homine §§ 7 (I, 411) et 32 (I, 419), de internn. affection. §§. 1 (I, 531), 2 (I, 532), 4 (I, 534), 54 (I, 562), de flatib. § 10 (I, 298), de morbo sacro §. 10 (I, 306) legimus: τὸ μὲν παραντίκα . . ἔπειτα. Cum aliis particulis conjunctum μέν solitarium invenitur: de nat. hom. §. 2 (I, 225) μὲν γάρ, de internn. affection §. 25 (I, 545) μὲν οὖν, de flatib. §. 3 (I, 296) μὲν οὖν. In sententia conditionali post ἤν invenitur de morbo sacro §. 13 (I, 307). Saepius vim adverbii, quod est μάλιστα auget, ut de locis in hom. §. 14 (I, 385) de internn. affect. §. 15 (I, 540) de morbis §. 1 (I, 488), in cujus libri §. 16 (I, 493) verbis μάλιστα μὲν respondent particulae ἀτὰρ καὶ. — Sed ut brevis sim, his praeterea locis μέν solitarium invenies: initio librorum, qui sunt de morbo sacro (I, 224) et de natura hominis, de morb. I, 5 (I, 447) τὸ μὲν καθάπαξ εἰπεῖν, de locis in hom. §. 35 (I, 420), ubi distributionem verbis Τῶν δὲ νοσημάτων ἅσσα μὲν inceptam auctor non persequitur, de internn. affect. §. 41 (I, 554): γίγνεται μέν, de flatib. 9 (I, 298): ὁκόσοι μέν, de medico §. 12 (I, 21): τὸ δ'ἔξω μὲν τοῦ ἕλκεος, ubi δέ ad prius μέν refertur, μέν autem, quod sequitur ad verba τὰ ἔξω pertinet.

Denique monendum est de aliquot locis, ubi οὖν particulae μέν respondere videtur. Inveniuntur autem in libro de internn. affection., ut in §. 31 (I, 549) Ἄλλη νοῦσος σπληνός. Γίγνεται μὲν ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἀφ' ὧν καὶ ἡ πρόσθεν . πάσχει οὖν τάδε, quibus verbis simillimum est quod

ab initio §. 48 (I, 558) legitur. Verbis τὰ δὲ οὖν πάσχει oppositionem inferri non posse non modo e natura hujus particulae elucet, quae illud e prioribus colligi indicat, verum etiam simili loco confirmatur, qui est in §. 35 (I, 551), cujus ab initio statim legis: Ἴκτεροι τέσσαρες. ὁ μὲν τοῦ θέρεος μάλιστα ἐπιλαμβάνει, χολῆς κινηθείσης, ἵσταται οὖν ἡ χολὴ ὑπὸ τῷ δέρματι, ubi non haec verba particulâ οὖν inducta illi μέν respondent, sed quae legis ab initio proximae paragraphi: Ἄλλος ἴκτερος. οὗτος ἐπιλαμβάνει μὲν χειμῶνος ἐκ μέθης καὶ ῥίγεος. Voluit igitur scriptor, cum illud per particulam μέν intulit, alia per particulam δέ opponere, sed longa et copiosa expositione interposita ab incepto deductus nova structura utitur. Itaque ne illis quidem locis inter μέν et οὖν particulas ulla ratio intercedit, sed illic μέν mere solitarium est, cum ne talis quidem oppositio, qualem tertio loco invenimus, addita sit. Dico haec quae vereor, ne sint quibus per se perspicua videantur, quoniam duobus horum locorum codex θ pro οὖν praebet δέ, quae particula si pro illa recipitur, oppositionem sine dubio indicat, quam particula οὖν servata ullo modo constare negavimus.

His igitur explicatis ad eam rationem perquirendam transire liceat, qua particulae μέν respondet particula δέ, quae, ut in universo sermone graeco vulgaris, ita apud Hippocratem longe frequentior est.

Atque primum quidem ubi divisio fit iteratione articuli vi pronominis demonstrativi praediti, in primo membro μέν, in altero δέ post demonstrativum ponitur, pariter atque apud alios scriptores, et si plura sequuntur, quodque particula δέ adjungitur [1]). Horum casuum exempla affero: ὁ μὲν..ὁ δέ de vict. acut. §. 37 (I, 389); ἡ μὲν..ἡ δέ Epid. II, 4, 1 (II, 1035); τὸ μὲν . . τὸ δέ Aphorism. II, 28 (II, 1245) τῷ μὲν

---

1) Si substantivum, quod rem distribuendam significat, demonstrativis ipsis praecedit, haec, si casum respicis, illi accomodari solent, ita ut appositio, quam vocant distributivam, efficiatur, ut Aphor. sect. IV, 42 (II, 1250), V, 48 (II, 1255). Rarius genitivus nominis ponitur, ut de affection. §. 34: ξυμφέρει δὴ τούτων, τὰ μὲν καταπλάσσοντα . . διαχεῖν, τὰ δὲ καταπλάσσοντα πεπαίνειν, cf. de nat. hom. §. 2 (I, 224), Coaca 282 (I, 164).

. . *τῷ δέ* de aër. aqu. loc. §. 12 (I, 286); *τῇ μὲν* . . *τῇ δέ* de flatib. §. 14 (I, 300), *οἱ μὲν* . . *οἱ δέ* de aër. aqu. loc. §. 8 (I, 284) et §. 29 (I, 293), *αἱ μὲν* . . *αἱ δέ* ibid, §. 25 (I, 291) *τὰ μὲν* . . *τὰ δέ* ibid. §. 25 (I, 291), *τῶν μὲν* . . *τῶν δέ* de humorr. §. 3 (I, 47), *τοῖσι μὲν* . . *τοῖσι δέ* de vict. acut. §. 11 (I, 385), *τοὺς μὲν* . . *τοὺς δέ* de aër. aqu. loc. §. 15 (I, 287) *τὰς μὲν* . . *τὰς δέ* ibid. §. 25 (I, 291), *τὰ μὲν* . . *τὰ δὲ* de vict. acut. §. 65 (I, 395). Hanc rem exemplis illustrare conatus sum non modo ex eis libris, qui Hippocratis ipsius esse videntur, sed etiam ex aliis, quia hujus anaphorae usus per omnes libros, quos legi, ita frequens est, ut utrum exempla misceantur an singuli libri deinceps perlustrentur non multum intersit. Quin etiam omnino in his libris anaphorae usus varius et magnus est, quo apud ullum alium scriptorem vix majorem invenias, quare cum totam exemplorum copiam hic enumerane nequeam, varias rationes paucis vel singulis exemplis demonstrare periclitabor atque si qui libri discrepare videntur dicam.

E particulis longe frequentissime conditionali quae est *ἤν* anaphora efficitur, ut de cap. vuln. §§. 9 (I, 900), 22 (I, 907), aliis locis permultis. Maxime vero insignis hac figura est liber Aphorismorum. In altero membro verbum modo omittitur, modo adponitur [1]), ad quam rem confirmandam comparentur inter se hi loci, de aër. aqu. loc. §. 14 (I, 286), de cap. vuln. §. 28 (I, 911), de aër. aqu. loc. §. 15 (I, 287), de victu acut. partis spuriae §§. 42 (I, 403), 11 (I, 398), 26 (I, 400), 53 (I, 405). Interdum post protasin per *ἢν μὲν* inductam omittitur formula *εὖ ἔχει* et quae sunt similes locutiones, ut de morbis II, 41 (I, 473) ubi legis: *Τοῦτον ἢν μὲν ἑβδομαῖον ὄντα ῥῖγος λάβῃ καὶ πυρετὸς ἰσχυρὸς καὶ ἐξιδρώσῃ . ἢν δὲ μὴ ἀποθνήσκει.* Plurima hujus aposiopesis (cf. G. Hermann ad Viger. p. 870) etiam apud Atticos frequentis (cf. Plat. Prot. 325, D: *καὶ ἐὰν μὲν ἑκὼν πείθηται . εἰ δὲ μή, κτλ.*) exempla exstant in libro, qui est de internis affectionibus, cf. §. 1 (I, 531): *οὗτος ἢν μὲν ἐν τάχεϊ παύσηται τῆς νούσου , — ἢν δὲ μὴ, προϊόντος τοῦ χρόνου τὸ*

---

1) *De usu Platonis* cf. Engelhardt ad. Plat. Menex. 234, A.

αἷμα πλεῖον χωρέει. Legitur praeterea: §. 6 (I. 534), §. 7 (I, 535) saepius. — εἰ μὲν . . εἰ δὲ multo rarius invenitur. Exempla haec sunt: de vict. acut. §. 8 (I, 384), Aphorism. sect. V, 42 (II, 1254, Coaca 393 (I, 180), Prognost. §. 39 (I, 44). Deinde invenitur: ὅταν μὲν . . ὅταν δέ de vict. acut. 20 (I, 386), ὅτε μὲν . . ὅτε δέ Aphor. sect. 3, 4 (II, 1246), Epid I, aegr. XIV, aeger 6 (II, 982), Epid. III, aegr. XVI, 9 (II, 1104); πότε μὲν . . πότε δέ Prognost. §. 20 (I, 40), de nat. hom. §. 1 (I, 224); ὁκοῦ μὲν . . ὁκοῦ δέ de aër. aqu. loc. §. 33 (I, 295), Aphorism. sect. I, 7 (II, 1243); ἅμα μὲν . . ἅμα δέ [1]) de locis in hom. §. 14 (I, 415), de affection. §. 24 (I, 522) de fractis §§. 4 et 18 (I, 752, 764); πολλοῖσι μὲν . . πολλοῖσι δέ: Ep. III. stat. pest. §. 3 (II, 1083), ἔνιοι μὲν . . ἔνιοι δέ de morb. I, 16 (I, 452); ἄλλο μὲν . . ἄλλο δέ de fract. §. 2 (I, 751); ἄλλοτε μὲν . . ἄλλοτε δέ de morb. I, 18 (I, 453); τοῦτο μὲν . . τοῦτο δέ [2]) de fract. §. 2 (I, 751), de flatib. §. 7 (I, 297); ὅστις μὲν . . ὅστις δέ de aër. aqu. loc. §. 9 (I, 284), de cap. vulnerib. §. 1 (I, 895 [3]), ὅσα μὲν . . ὅσα δέ de locis in hom. §. 30 (I, 419). Pronominis ὁκόσος inter seopponuntur nom. plur. masc. de aër. aqu. loc. §. 32 (I, 294), fem. ibid. §. 15 (I, 297) et §. 6 (I, 283), neutr. ibid. §. 10 (I, 285) 21 (I, 289), Prognost. §. 13 (I, 38) de fractis §. 60 (I, 789), genitivi de aër. aqu. loc. §§. 9 (I, 284). et 13 (I, 286), dativi Prognost. §. 15 (I, 39). E praeposi-

---

1) cf. Plat. Gorg. 452. E.

2) Τοῦτο μὲν . . τοῦτο δὲ adverbii instar usurpatum (theils . . theils cf. Krüger 50, 1, 15) apud Hippocratem ipsum non reperitur. Exstat autem in his libris: lex, de arte, de vetere medicina, de morbo sacro, de fractis, de flatib., de morbis III., in cujus libri §. 17 (I, 496) habes seriem fere continuam, in qua primum membrum est τοῦτο μέν et sequitur τοῦτο δὲ . . τοῦτο δὲ . . τοῦτο δὲ . . . . . per totam paragraphum.

3) Haec paragraphus insigne est exemplum, quanta concinnitate in struendis enunciatis auctor libri usus sit. Tota enim paragraphus e quattuor membris constat, quorum quodque particulis μέν . . δέ in duas partes discinditur. Ad has particulas adversativas accedit in duobus membris extremis δέ copulativum. Schema igitur huic paragrapho quasi substratum hoc est:

Μὲν . . μὲν . . δὲ . . δ ὲ . . μὲν . . δὲ . . δ ὲ . . μὲν . . δὲ . . δ ὲ . . δὲ . . μὲν . . δὲ.

tionibus hae anaphoram faciunt: *περί* de aër. aqu. loc. §§. 6 (I, 283) et 18 (I, 288); *ἀπό* ibid. §. 31 (I, 294) de flatib. §. 8 (I, 298), *ἀντί* Prognost §. 45 (I, 46), *ἐν* de aër. aqu. loc. §. 31 (I, 294), de morb. sacro §. 16 (I, 308), *ἐκ* Coaca 431 (I, 186), *πρός* de affection. §. 38 (I, 525), *ξύν* Prognost. §. 9 (I, 38). Rarius eadem verbi forma iteratur, legis tamen *γίγνεσθαι μέν . . γίγνεσθαι δέ* de aër. aqu. loc. §. 4 (I, 282), *γίγνεται μὲν . . γίγνεται δέ* de morb. I, 24 (I, 457), *ἔστι μὲν ὅτε . . ἔστι δὲ ὅτε* de vict. acut. §. 53 (I, 393); *τρέφονται μὲν . . τρέφονται δέ* de loc. in hom. §. 4 (I, 409); *ὠφελέει μὲν . . ὠφελέει δέ* de affection. §. 2 (I, 516). Huc denique pertinent ei loci, ubi positivus et superlativus ejusdem adjectivi inter se opponuntur ut Coac. 273 (I, 163): *κακὸν μὲν . . κάκιστον δέ*, cf. Coaca 601 (I, 216), Praedict. I, 73 (I, 73).

Anaphorae, in quibus primum membrum per particulam *μέν* inductum, plura sequuntur, quodque cum particula *δέ*, plerumque articulo, qui vim demonstrativi habet, et pronominibus efficiuntur, ut Prognost. §. 37 (I, 44): *ἡ μὲν . . ἡ δὲ . . ἡ δὲ . . ἡ δὲ . . ἡ δὲ . . ἡ δὲ . . ἡ δὲ*, de aër. aqu. locis §. 17 (I, 288): *τὰ μὲν . . τὰ δὲ . . τὰ δὲ*, lex, de arte, de vet. med. §. 39 (I, 17): *τὰ μὲν . . τὰ δὲ . . τὰ δὲ . . τὰ δὲ τὰ δὲ . . τὰ δὲ . . τὰ δὲ . . τὰ δὲ* (cf. Prognost. §. 28 (I, 42); Epid. II, sect. 4, 1 (II, 1034): *αἱ μὲν . . αἱ δὲ . . αἱ δὲ;* Coaca 142 (I, 138): *οἷσι μὲν . . οἷσι δὲ . . οἷσι δέ;* Coaca 400 (I, 181): *οἷσι μὲν . . οἷσι δὲ . . οἷσι δὲ . . οἷσι δὲ . . οἷσι δέ.* Epid. VI, 1, 14, (II, 1065): *οἱ μὲν . . οἱ δὲ . . οἱ δὲ . . οἱ δὲ;* de aër. aqu. loc. §. 32 (I, 294): *ὁκόσοι μὲν . . ὁκόσοι δὲ . . ὁκόσοι δὲ . . ὁκόσοι δέ.* Praepositionum exemplum exstat in libri de vict. acut. parte spuria §. 9 (I, 397). Praeterea in libro de fractis legis, in §. 2 (I, 751): *ἄλλο μὲν . . ἄλλο δὲ . . ἄλλο δέ,* in §. 18 (I, 764): *ἅμα μὲν . . ἅμα δὲ . . ἅμα δέ.*

Si particulae *μέν . . δέ* ad nomina cum articulo conjuncta accedunt, articulum inter et nomen poni solent, ut de aër. aqu. loc. §. 21 (I, 289) *τὸ μὲν σφαιροειδὲς . . τὸ δὲ μῆκος,* ibid. §. 11 (I, 285), ubi superlativus comparativo opponitur, ibid. §. 3 (I, 281): *τοῦ μὲν θέρεος . . τοῦ δὲ χειμῶνος.* Aphorism. sect. 6, 62 (II, 1260): *τῷ μὲν ἰσχυρῷ, τῷ δὲ ἀσθενέϊ; Coaca* 402 (I, 183) *τὴν μὲν ἡμέραν . . τὴν*

δὲ νύκτα; de aër. aqu. loc. §. 11 (I, 285): τὰ μὲν οὖν ὄμβρια . . τὰ δὲ ἀπὸ χιόνος; ibid. §. 8 (I, 284) τοῖσι μὲν νοτίοισι . . τοῖσι δὲ βορείοισι; ibid. §. 15 (I, 287) τοῖσι μὲν φλεγματίῃσι . . τοῖσι δὲ χολώδεσι . . τοῖσι δὲ πρεςβύτῃσι; ibid. §. 30 (I, 293): τοὺς μὲν πλουσίους, τοὺς δὲ πένητας. Hunc tamen usum non adeo firmum esse, ut particulae alio loco collocari nequeant, paucis exemplis comprobare sufficiat. Legis enim de aër. aqu. l. §. 7 (I, 284): τοῖσι νεωτέροισι μὲν . . τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι; de morb. I, §. 5 (I, 448): τοῦ μὲν χειμῶτος . . τοῦ θέρεος δέ. Epid. III, aegr. XVI, aeger 2 (II, 1096): ἡ σιηγὼν μὲν . . ἡ κοιλίη δὲ. In universum horum scriptorum auctores non ubique sibi constantes anaphora utuntur, sed studio quodam variationis ducti hic et illic in altero membro ante particulam δέ non eandem vocem repetunt, sed aliam ponunt, quae idem declarat. Itaque cum longe plurimis locis particulis ἢν μέν respondeat ἢν δὲ (μή), alibi legis ἢν μὲν . . εἰ δὲ μή, ut de morbis III, 9 (I, 490): ἢν μὲν οἷός τε ᾖ, ἀποκαθαίρειν ἄνω, εἰ δὲ μὴ τὴν κάτω κοιλίην παρασκευάζειν. Etiam ubi haec particularum conditionalium variatio invenitur, prioris membri apodosin reticeri posse (cf. Plat. Prot. 325, D.) testantur hi loci: de cap. vuln. §. 12 (I, 901) ἢν μὲν καταφανὲς ᾖ τοῖσι ὀφθαλμοῖσι τὸ ὀστέον ψιλόν . εἰ δὲ μή, τῇ μήλῃ σκέπτεσθαι. Simile exemplum exstat de morb. I, 15 (I, 466). Alia hujus variationis exempla sunt: ἢν μὲν . . ἐπὴν δέ de fractis §. 8 (I, 757); ὅταν μὲν . . ὁκόταν δέ de vict. acut. §. 20 (I, 386); ὁκόταν μὲν . . ὅταν δέ de flatib. §. 6 (I, 397); ἃ μὲν . . ἅσσα δὲ de locis in hom. §. 13 (I, 413); τὸ μὲν θερμόν . . ἄλλο δὲ θερμὸν . . ἄλλο δὲ θερμόν lex, de arte, de vet. med. §. 33 (I, 14); cf. de humorr. §. 18 (I, 51) οἱ μὲν . . ἄλλοι δὲ . . οἱ δέ Epid. III. stat. pest. §. 12 (II, 1089): πολλοὶ γάρ τίνες ἀρξάμενοι κατὰ χειμῶνα πολλοὶ μὲν κατεκλίθησαν, οἱ δὲ αὐτῶν ὀρθοστάδην ὑπεφέροντο, de vict. salubri §. 5 (I, 338) ὅσοι μὲν τῶν ἀνθρώπων παχέες εἰσὶ καὶ μὴ ἰσχνοί, quibus infra respondent verba: οἱ δὲ λεπτότεροι καὶ ἀσθενέστεροι. Jam vero de eo usu dicamus, secundum quem particulae μέν . . δέ non post eandem vocem repetitam neque post similes collocantur, sed post diversas, quarum oppositio, cum etiam

per se contrarias res significent, adjectis particulis augeatur necesse est. Sed cum hic usus vulgaris sit et exempla apud omnes scriptores facili opera inveniantur, perpauca tantum afferre liceat. Ita oppositio intercedit inter verba φύσι μὲν . . νόμος δέ de aër. aqu. loc. §. 32 (I, 289) φήμῃ μὲν . . ἔργῳ δὲ lex, de arte, de vet. med. §. 1 (I, 2) et inter similes notiones saepissime, ut apud alios scriptores. Animadversione dignum est enuntiatum in §. 7 (I, 284) libri de aër. aqu. locis inscripti, quod incipit a verbis τοῖσι δὲ πίνουσι, cujus utroque membro complura substantiva continentur. Atque membra ipsa particulis μέν . . δέ sejuncta, singulae utriusque membri partes particulis copulativis conjunta sunt. Alterum autem membrum ita ab altero differt, ut prius ad interiores corporis humani partes spectet, alterum ad externas. Substantiva et adjectiva inter se opponi, ex ejusdem libri §. 32 (II, 294) intellegitur (μεγάλοι μὲν . . ἐς εὖρος δέ). Praeterea haec exempla attulisse sufficiat: praepositionum: de morb. II, 13 (I, 465): ἐκ μὲν τοῦ ἄλλου σώματος . . ἐν δὲ τῇ κεφαλῇ, verborum: de vict. acut. §. 17 (I, 386): κωλύει μὲν . . ἀναγκάζει δέ participiorum: Coaca 477 (I, 193) πυρετοῦ μὲν ἐπιγενομέ νου . . μὴ γενομένου δέ, adjectivorum: de aër. loc. §. 4 (I, 282) ὀλίγα μὲν . . ἰσχυρὰ δὲ; numeralium: Aphorism. sect. II, 24 (II, 1245), de humorr. §. 6 (I, 48), de officina med. 18 (I, 787)[1]); adverbiorum: Aphorism. sect. VI, 25 (II, 1257) ἔξωθεν μὲν . . ἔσωθεν δέ, de vict. acut. §. 36 (I, 389) εὐφόρως μὲν . . δυςφόρως δέ, conjunctionum: de aër. aqu. loc. §. 10 (I, 285) ἕως μὲν . . ὁκόταν δέ. — Non raro positivo respondet superlativus in altero membro. Quod si fit, hoc prioris membri vim moderatur, ita ut μέν accipiat vim concessivam atque idem fere sit, quod nostratium particula zwar. Legis e. c. Prognost. §. 4 (I, 37) haec: Ἀνακαθίζειν δὲ βούλεσθαι τὸν νοσέοντα, τῆς νούσου ἀκμαζούσης, πονηρὸν μὲν ἐν πᾶσι τοῖσι ὀξέσι νοσήμασι, κάκιστον δὲ ἐν τοῖσι περιπνευμονικοῖσι, cf. Epid. I, 10 (II, 947): ἐκ πάντων

1) Pronomen quod est ὁκόσος, quo frequenter anaphoram effici vidimus, in altero membro ordinale sequitur, ubi enumeratio fit, ut de aër. aqu. l. §. 7 (I, 284) ὁκόσα μὲν (§. 8) δεύτερα δὲ ibidemque: ὁκόσοι μὲν . . δεύτερα δὲ . . τρίτα δέ.

μὲν, πλεῖστοι δέ, cf. ibid. §. 15. Epid. III stat. pest. §. 8 (II, 1086): πάντες μὲν . . πολὺ δὲ μάλιστα. Similiter, ubi sententiae particulis μέν . . δέ inter se opponuntur, in quod in priori ponitur, altera temperatur, ut de aër. aqu. loc. §. 8 (I, 284): ταῦτα μὲν τέμνειν οὐκ ἀγαθὰ . . . εἰσὶ δ᾽ἔνιαι φύσεις καὶ νοσεύματα εἰς ἃ ἐπιτήδειά ἐστι. Aphorism. sectio II, 39 (II, 1246): οἱ πρεςβῦται τῶν νέων τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσι ἧσσον. ὅσα δ᾽ἂν αὐτέοισι χρόνια νοσήματα γένηται, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει, Coaca 535 (I, 205): τίκτουσι μὲν ῥηϊδίως, πυρέξασαι δὲ, κακοήθεες. Aut per particulam δέ nova sententia infertur, qua id quod in priore membro positum est, aut augetur, ut de aër. aqu. loc. §. 3 (I, 282); ταῦτα μὲν τὰ νοσήματα αὐτοῖσι ἐπιχώριά ἐστι, χωρὶς δὲ, ἤν τι πάγκοινον κατάσχῃ νόσημα ἐκ μεταβολῆς τῶν ὡρέων, καὶ τούτου μετέχουσι., aut accuratius definitur ut de cap. vulnerib. §. 31 (I, 319): πρίονι χρὴ χαρακτῷ ἐκπρίειν μὲν αὐτίκα τὸ ὀστέον . . ., θαμινὰ δὲ ἐξαιρεῦντα τὸν πρίονα σκοπεῖσθαι. Ad duo enunciata aut tertium accedere aut plura, ut apud alios scriptores, testatur Prognost. §. 44 (I, 46), ubi legis: οἱ πλεῦνες αὐτῶν ἄρχονται μὲν πονέεσθαι τριταῖοι, χειμάζονται δὲ μάλιστα πεμπταῖοι, ἀπαλλάσσονται δὲ ἐνναταῖοι. Sed cum haec omnia etiam ex aliorum scriptorum usu satis nota sint, pluribus exemplis illustrare supersedeo. Haec attuli ne cui hae variae rationes in libris hippocrateis deesse videantur neve in hac descriptione quid desideretur.

Interdum vero fit, ut inter duo membra per μὲν-δέ particulas opposita permulta verba intercedant, ut de morbo sacro §. 6 (I, 304), ubi scriptor de duabus venis loquitur magnis et crassis, quarum altera a jecore, altera a liene ducatur. Ad prioris descriptionem his verbis se convertit: καὶ ἡ μὲν ἀπὸ τοῦ ἥπατος ὧδε ἔχει. Quibus verbis quae respondeant, in fine paragraphi legis: Διατέταται δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ σπληνὸς φλέψ. Interjecta est enim ampla et copiosa prioris venae descriptio, quae, cum magnam illam venam in duas partes discindi narretur, ipsa in duo membra, per particulas μὲν-δέ opposita discinditur, quorum alterum ad hanc, alterum ad illam venae partem pertinet. Tum postquam his et aliis expositis ad finem ambitus pervenit scriptor non

statim ad alterum membrum transit, sed ne oppositio interjecta descriptione obscuretur, addit: *ἀπὸ μὲν τοῦ ἥπατος οὕτως ἔχει τῶν φλεβῶν.* Tum pergit *Διατέταται δὲ κτλ.* Ita in libro, qui est de aër. aqu. loc. fere ubicumque ad novam rem exponendam auctor transit, haec particula *δέ* infertur, in enunciato autem, quod antecedit, per *μέν* (*μὲν οὖν*) conclusio rei ante tractatae indicari solet, quae particula ut illo loco e libro, qui est de morbo sacro, adlato compluries inde repetita est, ubi de eadem re primum disseri coeptum est, ita ut *δέ* particulae *μέν* bis positae respondeat; sed posterius *μέν* nihil est nisi iteratio prioris, remotioris, qua hoc quasi in memoriam ejus qui legit, revocatur. Res quemadmodum se habeat spero fore ut hoc exemplo illustrem: de aër. aqu. loc. §. 5 non procul ab initio (I, 282) legitur: *ὁκόσαι (πόλεις) πρὸς τὰς ἀνατολὰς τοῦ ἡλίου κέαται,* quibus verbis respondet initium paragraphi proximae: *ὁκόσαι δὲ πρὸς τὰς δυσίας κέαται,* sed intercedit inter haec duo enunciata tertium: *περὶ μὲν τούτων οὕτω ἔχει.* His verbis contineri conclusionem totius paragraphi atque particulam *μέν* iterationem esse ejus quod in initio narrationis positum est, et e collocatione et e ratione et argumento horum verborum satis patet. Eandem rationem esse vides inter §§. 10 (I, 285) et 11 (I, 286). Legis enim §. 10 (I, 285) initio: *Περὶ δὲ τῶν ὀμβρίων καὶ ὁκόσα ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλων.* Sub finem ejusdem §. omnia comprehenduntur his verbis: *Περὶ μὲν οὖν ὀμβρίων ὑδάτων καὶ τῶν ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλων οὕτως ἔχει* et per particulam *δέ* ad novam rem transit. Eadem ratio intercedit inter verba *ὁκόσα μὲν οὖν ἐστὶ ἑλώδεα*, quae exstant in §. 7 et ea quae initio proximae paragraphi leguntur. Idem denique invenitur Prognost. §. 32 (I, 42) Epid. III, stat. pest. §. 5 (II, 1085) aliis locis. Atque hunc usum e nullo libro tam luculenter videre possumus, quam e libro, qui est de aëre aquis locis.

Sed non modo diversae res particulis *μὲν-δέ* ponuntur, quarum altera alteri opponitur, verum cum *δέ* non contrarium sed aliquid novi inferat, vel addat, res variae simpliciter inter se conjunguntur, vi oppositionis adeo debilitata, ut *δέ* prope ad significationem copulae accedat, ut de aër. aqu. loc. §. 33 (I, 295): *αἱ μὲν*

οὖν ἐναντιώταται φύσιές τε καὶ ἰδέαι ἔχουσι οὕτως, ἀπὸ δὲ τούτων τεκμαιρόμενος τὰ λοιπὰ ἐνθυμέεσθαι καὶ οὐχ ἁμαρτήσῃ. Plura exempla hujus usus vulgaris, qui per omnes hos libros animadverti potest, adscribere non necessarium videtur, cum praesertim singulis locis alii adversativam alii copulativam rationem pro sua quisque cogitatione pari jure subjiciant.

Magis autem operae pretium erit examinare, qualis sit usus vocum πρῶτον - ἔπειτα, quas saepissime inter se opponi etiam ex aliorum scriptis notum est. Ac primum quidem cum particulis μὲν-δέ conjunctae, quibus oppositio augetur, aliquam rem aliam sequi significant, ut de aër. aqu. loc. §. 1 (I, 280): πρῶτον μὲν ἐνθυμέεσθαι τὰς ὥρας τοῦ ἔτεος... ἔπειτα δὲ τὰ πνεύματα τὰ θερμά τε καὶ τὰ ψυχρά, ibid. §. 27 (I, 292): Ῥοϊκὰ δὲ γίγνεται καὶ βλαδέα (τὰ σώματα) . πρῶτον μὲν, ὅτι οὐ σπαργανοῦνται . . ἔπειτα δὲ διὰ τὴν ἕδρην. Quorum tamen duorum locorum ratio non plane eadem est. Illic enim actio una eademque est, nam post ἔπειτα δέ cogitatione repetendum est ἐνθυμέεσθαι, sed res in quibus versatur cum per se tum tempore diversae sunt, ita ut prima hujus unius actionis pars, priusquam altera incipit, prorsus absoluta sit. Hic temporis ratione omnino non habita, duae causae enumerantur, quae ad unam rem pertinent. Quae quum ita sint atque aliis locis satis multis et editionum et codicum scripturae differant, re accuratius inquisita hoc animadverti: omnibus fere locis, ubi scriptura πρῶτον μὲν . . ἔπειτα δὲ satis certa et firma est, hae voces sine ullo dubio ad tempus spectant, ita ut, velut eo loco, quem primum descripsi, unius actionis duae rationes discernantur, tempore diversae. Perspicuitatis causa alterum exemplum addo. Legis enim de morbo sacro §. 10 (I, 305) ὅταν γὰρ λάβῃ ὤνθρωπος κατὰ τὸ στόμα καὶ τοὺς μυκτῆρας τὸ πνεῦμα, πρῶτον μὲν ἐς τὸν ἐγκέφαλον ἔρχεται, ἔπειτα δὲ ἐς τὴν κοιλίην. Primum igitur in cerebrum fertur, tum demum postquam per cerebrum jam pervenit, ventrem petit. Ita πρῶτον μὲν - ἔπειτα δέ usurpatur de vict. acut. §. 20 (I, 387), de vict. salubri §. 5 (I, 338), de affect. §. 25 (I, 523) de nat. hom. §. 7 (I, 228), in ejusdem libri §. 6 (I, 227) compluries. Sed ubicunque his voculis temporis discrimen

non denotantibus, ut illo altero loco e libro qui est de aër. aqu. locis adlato, enumerandi causa scriptor utitur, eo ipso loco excepto, *δέ* in altero membro aut deest, aut ab editoribus illatum est, aut perpaucis tantum codicibus praebetur. Legis enim de aër. aqu. loc. §. 3 (I, 281) *νοσήματα τάδε ἐπιχώρια εἶναι (ἀνάγκη) . πρῶτον μὲν τὰς γυναῖκας νοσερὰς καὶ ῥοώδεας εἶναι, ἔπειτα πολλὰς ἀτόκους ὑπὸ νόσου καὶ οὐ φύσι ἐκτιτρώσκεσθαί τε πυκνά*, cf. §. 4 (I, 282) *πρῶτον μὲν στιφραὶ πολλαὶ γιγνονται (γυναῖκες) . . ἔπειτα τίκτουσι χαλεπῶς*, cf. ibid. §. 5 (I, 282), de nat. hom. §. 5 (I, 226), de affect. §. 61 (I, 530). Omnibus his locis de diversis temporis punctis ne cogitari quidem potest, sed res per *πρῶτον μὲν-ἔπειτα* enumeratae etiam eodem tempore fieri possunt. Atque in hoc optime quadrant quae Herbstius in. Philol. vol. XXIV, p. 610 et 647 de usu Thucydideo disputavit. Dicit enim altero loco haec: *πρῶτον μὲν - ἔπειτα* gebraucht Thucydides, wo er die beiden Glieder in der Einheit eines Gedankens zusammenfassen will; das *μέν* ist ihm dabei das verbindende Mittel, im *ἔπειτα* fügt sich das zweite als Fortgang der Handlung oder des Gedankens ohne Gegensatz an. Similem igitur legem, ut Thucydidem, etiam eorum librorum auctores, e quibus exempla attuli, in usu formularum *πρῶτον μὲν-ἔπειτα δέ* et *πρῶτον μὲν-ἔπειτα* sibi constituisse ex eis, quae hactenus disputavimus, apparet. Quae quum ita se habeant num de nat. hom. §. 5 (I, 226) Littréus et Ermerinsius recte scripserint: *Πρῶτον μὲν γὰρ φανερός ἐστι ὥνδρωπος ἔχων ἐν ἑωυτῷ ταῦτα πάντα αἰεὶ ἕως ἂν ζῇ, ἔπειτα δὲ γέγονε ἐξ ἀνθρώπου ταῦτα πάντα ἔχοντος κτλ.*, particulam *δέ* e Galeno et duobus codicibus A et C recipientes valde dubito; in ejusdem vero libri §. 3 (I, 225) Ermerinsius unum codicem Vossianum secutus, recentem atque ut ipsius viri docti verbis utar (cf. vol. I. praef. p. IX) vitiis scripturae plenum, scribit: *Πρῶτον μὲν οὖν ἀνάγκη τὴν γένεσιν γίγνεσθαι μὴ ἀφ' ἑνός . πῶς γὰρ ἂν ἕν γ'ἐόν τι γεννήσειε, εἰ μή τινι μιχθείη; ἔπειτα δὲ, ἐὰν μὴ ὁμόφυλα ἐόντα μίσγηται καὶ τὴν αὐτὴν ἔχοντα δύναμιν, γέννα οὐδ' ἂν οὕτω ἡμῖν ξυντελέοιτο*, ubi scriptura vulgaris est: *ἔπειτα οὐδὲ, ἂν μὴ κτλ.*, unde Littréi *ἔπειτα οὐδ' ἐὰν μή*; quid legendum sit, mihi non statim suc-

currit, hoc tamen pro certo habeo, particulam *δέ* post *ἔπειτα* non ex usu ejus esse, cui hunc librum debemus. His perpensis redeamus ad illa verba, quae supra e libri, qui est de aër. aqu. locis, §. 27 (I, 292) attuli. Earum rationem, qualis sit, jam vidimus. Voces *πρῶτον μὲν - ἔπειτα δέ* ad temporis notionem non referuntur, neque earum oppositio urgetur, sed unius rei duas causas inferunt. Quod cum locutione *πρῶτον μὲν - ἔπειτα* significari solere tribus exemplis ex hoc libro desumptis comprobaverimus *δέ* delendum est, quod non minus facile e proximo *δία* nasci potuit, quam in illis verbis *ἔπειτα δὲ γέγονε* (de nat. hom. §. 5 (I, 226) e prima syllaba verbi quod sequitur *γέγονε*.

Πρῶτον μὲν-ἔπειτα δὲ cum pro verbis *πρῶτον μὲν-ἔπειτα* poni nequeat, non raro contrarium fit, ut haec ad tempus referantur, ut de locis in hom. §. 4 (I, 411) ubi legis: *Πόνος δὲ καὶ ὀδύνη γίγνεται, ὅταν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ὑγρασίη ἐπιρρυῇ πονήσασί τι καὶ πρῶτον μὲν πήγνυται τὸ ἄρθρον, οὐ γὰρ ὀλισθηρὴ ἡ ὑγρότης ἡ ἐπερρυηκυῖα ἀπὸ τῆς σαρκός, ἔπειτα ὥστε πολλὴ λίην γενομένη καὶ οὐκ ἀρδομένη ἐκ τῆς σαρκὸς αἰεὶ, -ξηραίνεται κτλ.* Idem invenitur ibid. §. 32 (I, 419), ubi legis *τὸ μὲν πρῶτον . . ἔπειτα,* deinde de affection. §. 37 (I, 525), de internn. affection. §. 4 (I, 534), de morb. II, 15 (I, 466), de flatib. §. 10 (I, 298). Coaca 403 (I, 183): *τὸ μὲν πρῶτον-εἶτα.* At ubi a verbis *πρῶτον μέν* periodus ducitur et in proximis, adverbio *ἔπειτα* omisso, particulae adversativae vel copulativae, novum quid inferunt, *πρῶτον,* vi temporali, quae primum inerat, recedente, rem prae ceteris effert, ut respondeat nostro »vor allem, hauptsächlich«, ut de aër. aqu. loc. §. 4 (I, 283): *Πρῶτον μὲν τὰ ὕδατα σκληρά-τε καὶ ψυχρὰ ὡς ἐπὶ τὸ πλῆθος ἐγγίγνεται* . . sequuntur multae breves sententiae per particulam *δέ* et *τε* inductae cf. lex, de arte, de vet. med. §. 2 (I, 2), Epid. III, stat. pest. §. 7 (II, 1086) Ibid. §. 4 (II, 1083), ubi verbis *πρῶτον μὲν* respondet *ἀτὰρ καί.*

Tertium quod est *π ρ ῶ τ ο ν . . ἔ π ε ι τ α δέ* in libris quos legi, rarissime invenitur, qua in re cum usu Atticorum congruere videntur. Nam e. c. apud Aristophanem hoc dicendi genus ter tantum invenitur (cf. J. Wehr, quaest. Aristoph.

p. 31). Exemplo sint haec verba e libri, qui est de capitis vulnerib., §. 12 (I, 902) adlata: *τὰς γὰρ φλάσιας τὰς οὐ φαινομένας ἐν τῷ ὀστέῳ, ἐνεούσας δέ, ἐκ τῆς ὑποκρίσιος τοῦ τε τρωμένου πρῶτον διαγιγνώσκειν πειρᾶσθαι, εἴ τι πέπονθε τούτων τὸ ὀστέον . . ἔπειτα δὲ καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ ἐξελέγχειν.* Duae rationes diversae praecipiuntur, quarum altera ne fiat interdicit auctor, nisi illud prius antecesserit. Eadem temporis significatio est in his verbis, quae leguntur de internn. effection. §. 1 (I, 531): *πονέετο ὀλίγα τὸ πρῶτον, ἔπειτα δὲ πλείω.* Pari modo inter se respondent *τὸ πρῶτον . . προϊόντος δὲ χρόνου,* de morb. III, §. 15 (I, 492); *τὴν ἄρχην-ἔπειτα δὲ* de nat. hom. §.15 (I, 230), *τὸ πρῶτον . . ἔπειτα μήν* de fractis §.62 (I, 190).

Quartum genus, quo voces *πρῶτον - ἔπειτα* omissis particulis inter se opponuntur [1]), in libris qui Hippocrati ipsi tribuuntur, nusquam invenitur. E ceteris scriptis haec exempla affero; de vict. acut. part. spur. §. 11 (I, 398), ubi haec verba sunt: *ὁκόταν δὲ καθαρθῇ, διαιτᾶν ῥοφήματι πρῶτον καὶ πόματι μελικρήτῳ, ἔπειτα σιτίοισι καὶ ἰχθύσι ἑφθοῖσι κτλ.,* e quibus vides, vocibus *πρῶτον . . ἔπειτα* indicari, aliquam rem aliam tempore sequi, cf. praeter hoc de off. med. §. 11 (I, 744). Frequentius in hac figura articulus ad vocem *πρῶτον* accedit cf. de morb. I, 15 (I, 452), de internn. affect. §. 36 (I, 552), de vict. acut. spur. §. 53 (I, 405).

Restat ut paucarum elocutionum mentionem faciam, quas in his libris similiter usurpatas inveni. Ita legis in Coacis 387 (I, 178): *ἐν ἀρχῇ μὲν . . πέμπτῃ δέ,* similiter inter se respondent *ἐν ἀρχῇ μὲν . . ἑβδομαίῳ δέ* Prognost §. 24 (I, 40) cf. Coaca 580 (I, 212) *ἐν ἀρχῇ μὲν . . μετὰ δὲ τὴν τετράδα.* Epid. III, aegr. XVI, aeg. 13 (II, 1111—1112); de morbo sacro §. 10 (I, 306) *τὸ μὲν παραυτίκα . . ἔπειτα*; de cap. vuln. §. 30 (I, 913) *αὐτίκα . . ἔπειτα,* ubi, ut ex eis quae disputavimus apparet, non opus est Ermerinsii conjectura, qui post *ἔπειτα* de suo interposuit *δ'* nulla alia de causa, quam quod inter duo A facile interire potuit.

Structuram, quam dicunt paratacticam, de qua quae in commentariis interpretum aut in grammaticorum libris expo-

---

1) Hujus usus exempla Platonica affert Ast, lex. Plat. I, 761, Thucydidea Herbst l. l. p. 647, Aristophanea. J. Wehr, l. l. p. 29.

sita sunt, congessit J. Wehr, quaest. Aristoph. p. 26, in his medicorum libris satis usitatam esse, jam inde concluderis, quod, ut supra dixi, simplicissime scribunt neque longas, struunt atque artificiosas periodos. Quare cum singuli libri hoc usu non multum differant, hoc tantum moneo, hanc structuram in eis periodis maxime inveniri, in quorum primo membro notio universa vel res minus definita praemittitur, a qua per particulam *δέ* scriptor ad aliquid certum ac definitum transit, ut de cap. vuln. §. 19 (I, 906): *Τάμνοντι δὲ κεφαλὴν τὰ μὲν ἄλλα τῆς κεφαλῆς ἀσφαλείαν ἔχει ταμνόμενα, ὁ δὲ κρόταφος καὶ ἄνωθεν ἔτι τοῦ κροτάφου . . τοῦτο δὲ τὸ χωρίον μὴ τάμνειν.* Hujus sententiae posteriore membro primaria notio, ut K. Fr. Hermanni verbis utar (cf. K. Fr. Hermann, de protasi paratactica p. 4), priore secundaria continetur, ita ut hoc illi subjungentes protasin apte per voculam »während« inferamus, cf. de cap. vuln. §. 22 (I, 908) *τὸ μὲν ἄλλο . . ἡ δὲ ῥωγμὴ καὶ ἡ φλάσις.* Deinde eadem ratio inter duo membra saepissime intercedit, si particulis *μὲν οὖν* descriptio cujusdam rei concluditur et statim per particulam *δέ* nova res adjungitur vel opponitur de quo usu apud Aristotelem cf. Eucken, de Ar. dicendi ratione p. 29. Apud Hippocratem hoc saepissime fit. Legis e. c. de aër. aqu. loc. §. 19 (I, 289) *περὶ μὲν οὖν Αἰγυπτίων καὶ Λιβύων οὕτως ἔχειν μοι δοκεῖ* (20) *περὶ δὲ τῶν ἐν δεξιᾷ τοῦ ἡλίου τῶν ἀνατολῶν τῶν θερινῶν μέχρι Μαιώτιδος λίμνης, ὧδε ἔχει περὶ αὐτῶν* . cf. praeterea §. 22 (I, 289) *περὶ μὲν οὖν τούτων,* (§. 23) *περὶ δὲ τῶν ἐν Φάσι*, de cap. vuln. §. 12 (I, 901) *Ταῦτα μὲν οὖν χρὴ ἀπόπροσθεν σκεψάμενον λέξαι, μὴ ἁπτόμενον τοῦ ἀνθρώπου, ἁπτόμενον δ' ἤδη πειρᾶσθαι εἰδέναι σάφα, εἰ κτλ.* Cum ex his paucis exemplis, qualis hujus constructionis usus in his medicorum libris sit, satis cognoscatur, plura afferre non necessarium videtur, quamvis multa etiam in reliquis scriptis, quae non ipsius Hippocratis esse videntur, exstent.

Ut particula *δέ* in apodosi repetitur, quam rem exemplis hippocrateis postea illustrabimus, ita etiam *μέν* ponderis et perspicuitatis causa nonnunquam ita iteratur, ut, cum toto enunciato duo membra contineantur, *μέν* in prioris membri

protasi positum in ejusdem membri apodosi repetatur, *δέ* vero posterioris membri et protasin et apodosin introducat. Quae ratio ex his locis dilucide intelligi potest. Legis de aër. aqu. loc. §. 9 (I, 284): *ὁκόσων μὲν αἱ κοιλίαι σκληραί εἰσι καί ξυγκαίειν ἀγαθαὶ εἶναι* (?), *τούτοισι μὲν τὰ γλυκύτατα ξυμφέρει . . ὁκόσων δὲ μαλθακαὶ αἱ νηδύες καὶ ὑγραί εἰσι καὶ φλεγμαδώδεες, τούτοισι δὲ τὰ σκληρότατα καὶ ἀτεραμνότατα καὶ τὰ ὑφαλικά* . ibid. §.15: *καὶ ὁκόσαι μὲν τῶν πολίων κέαταί γε καλῶς τοῦ ἡλίου καὶ τῶν πνευμάτων, ὕδασί τε χρῶνται ἀγαθοῖσι, αὗται μὲν ἧσσον αἰσθάνονται τῶν τοιούτων μεταβολέων, ὁκόσαι δὲ ὕδασί τε ἑλείοισι χρέονται καὶ λιμνώδεσι, κέαταί τε μὴ καλῶς τῶν πνευμάτων καὶ τῶν καὶ τοῦ ἡλίου, αὗται δὲ μᾶλλον* [1]). Nec falsus esse mihi videor si ejusdem formae vestigia inveniri puto de aër. aqu. loc. §. 19 (I, 288) ubi scriptum est: *Ἔχει δὲ κατὰ τὴν Ἀσίην οὐ πανταχῇ ὁμοίως ἀλλ' ὅση μὲν τῆς χώρης ἐν μέσῳ κεῖται τοῦ θερμοῦ καὶ τοῦ ψυχροῦ, αὕτη μὲν εὐκαρποτάτη ἐστι κτλ.* Nam cum in proximis non pauca exciderint (cf. Erm. adn. ad I. l. et proll. p. LXX) particulas *δὲ* . . *δὲ* interieriisse verisimile est. In his igitur exemplis *μέν* prioris protasis respondet particulae *δέ* in posteriore protasi. Nam recte Buttmannus ad Demosth. Midian. exc. XII, p. 153: »in qua forma cum posterius *μὲν* manifesto nihil aliud sit, quam prioris iteratio, idem valet etiam de duplici *δέ*«. Quodsi hujus formae schema postulas, ecce adscribam: *μέν* . . *μέν* . . *δέ* . . *δέ*. E reliquis libris pauca tantum exempla habeo, quae illis addam. Invenitur de morb. sacr. §. 8 (I, 304) ubi inter se respondent verba *ὁκόσοισι μὲν* . . *ταῦτα μὲν* . . *ὁκόσα δὲ* . . *τούτοισι δὲ*, nam alterum *δέ*, cum satis multis et bonis codicibus praebeatur, cur Ermerinsius Littréum secutus, omitti maluerit, non perspicuum est. Etiam majori arbitrio hanc figuram Ermerinsius turba-

---

1) cf. Plat. Gorg. 512, A: *λογίζεται οὖν ὅτι οὐκ, εἰ μέν τις μεγάλοις καὶ ἀνιάτοις νοσήμασι κατὰ τὸ σῶμα συνεχόμενος μὴ ἀπεπνίγη, οὗτος μὲν ἄθλιός ἐστιν ὅτι οὐκ ἀπέθανε, καὶ οὐδὲν ὑπ' αὐτοῦ ὠφέληται, εἰ δέ τις ἄρα ἐν τῷ τοῦ σώματος τιμιωτέρῳ, τῇ ψυχῇ, πολλὰ νοσήματα ἔχει καὶ ἀνίατα, τούτῳ δέ βιωτέον ἐστὶ καὶ τούτον ὠνήσει, ἄν τε ἐκ θαλάττης ἄν τε ἐκ δικαστηρίου . , σώσῃ κτλ.*

vit de fract. et articul. §. 60 (I, 789), ubi similiter atque superioribus locis in optimis codicibus sententiarum responsio haec est: ὁκόσα μὲν . . ταῦτα μὲν . . ὁκόσα δὲ . . ταῦτα δέ. Ermerinsius in ultimo membro pro δέ scribit δή, nulla alia de causa quam quod ita scribi maluit. Huc denique pertinent verba, quae leguntur de fractis et articulis §. 57 (I, 785): ὅσοι μὲν οὖν ὅταν ἐμπέσῃ τὸ ἄρθρον καὶ μὴ ἐπιφλεγμήνῃ τα περιέχοντα χρέεσθαι ἀνωδύνως αὐτίκα τῷ ὤμῳ δύνανται, οὗτοι μὲν οὐδὲν νομίζουσι δεῖν ἑωυτῶν ἐπιμελέεσθαι, quibus infra haec verba opponuntur: οἷσι δ' ἂν ἐπιφλεγμήνῃ τὰ νεῦρα, οὐ δύνανται χρέεσθαι τῷ ὤμῳ, quo loco cum alterum δέ omissum sit, illud statuendum est, quod Buttmannus l. l. p. 155 Atticorum exemplis illustravit. In libro, qui est de aëre aquis locis, hujus rei duo exempla exstant, primum in §. 13 (I, 286) ubi legitur: ὁκόσων μὲν ἥτε κοιλίη εὔροός τε καὶ ὑγιηρή ἐστι καὶ ἡ κύστις μὴ πυρετώδης . . οὗτοι μὲν διουρεῦσι ῥηϊδίως καὶ ἐν τῇ κύστι οὐδὲν ξυστρεφέται . ὁκόσων δ' ἂν ἡ κοιλίη πυρετώδης ᾖ, ἀνάγκη καὶ τὴν κύστιν τὠυτὸ τοῦτο πάσχειν, quo loco propter καί vi intentionis praeditum alterum δέ videtur omissum esse. Nam etiam aliis horum librorum vere hippocrateorum locis, quos in proximis obiter commemorabimus, altera particula alteram videtur expulisse. Alterum exemplum invenitur in §. 8 (I, 284) ubi legimus: ὁκόσων (ὑδάτων) μὲν αἱ πῆγαι πρὸς τὰς ἀνατολὰς ἔχουσι, ταῦτα μὲν ἄριστα αὐτὰ ἑωυτῶν ἐστί. Atque pergit: δεύτερα δὲ κτλ., sed hoc membrum non distribuitur in protasin et apodosin.

Ab hac discernenda est forma quae exstat de cap. vuln. §. 22 (I, 908), ubi legis: καὶ ἣν μὲν ἐπιξύων τὴν ῥωγμὴν ἐξέλῃς . ., φλάσις μὲν γεγένηται τοῦ ὀστέου . . ., ἧσσον δὲ φοβερὸν καὶ ἧσσον ἂν πρῆγμα ἀπ' αὐτῆς γένοιτο ἀφανισθείσης τῆς ῥωγμῆς. Ἢν δὲ κατὰ βάθος ᾖ κτλ. Etiam in his verbis insunt quattuor particulae: μὲν . . μὲν . . δὲ . . δέ, sed animadvertendum est, primum μέν respondere ei particulae, quae ultimo loco posita est, reliqua duo in media sententia inter se opposita esse, ita ut hoc schema efficiatur: μὲν . . μὲν . . δὲ . . δὲ, quod etiam quadrat in Prognost. §. 2 (I, 37), quamquam hoc loco sententiae inter se oppo-

nuntur, non sententiarum partes. Verbis enim: ἢν μὲν οὖν ἐν ἀρχῇ τῆς νούσου τὸ πρόςωπον τοιοῦτον ᾖ κτλ. respondent: ἢν δὲ καὶ παλαιοτέρου ἐόντος τοῦ νοσήματος. Inter haec intercedunt: κ'ἢν μέν τι τούτων ὁμολογέῃ . . ἢν δὲ μηδὲν τούτων φῇ εἶναι, quae omnia priori sententiae subjuncta sunt. Similis primi membri partitio fit de victu acut. §. 19 (I, 386) in his verbis: χρέεσθαι ποτῷ, ἢν μὲν ἄλγημά τι ἔχῃ, ὀξυμέλιτι, χειμῶνος μὲν θερμῷ, θέρεος δὲ ψυχρῷ . ἢν δὲ πολλὴ δίψα ᾖ, μελικρήτῳ καὶ ὕδατι. Simili modo de fractis §. 38 (I, 776) verba τῶν μὲν ἔξω καὶ ἔσω ὀλισθανόντων, quae protasis locum obtinent, bipartita apodosis (καθῆσθαι μὲν . . οὐ δὲ σκέλος ἀνώτερω ἔχειν.) sequitur.

Atque jam de iis particulis dicturus, quae cum particula μέν conjunguntur, non possum non memorare, cum in omnibus his medicorum scriptis tum in ipsius Hippocratis libris hunc usum multo simpliciorem minusque varium esse quam apud Atticos. Plurimae enim earum elocutionum, quae e. c. in Platonis dialogis satis usitatae sunt, in libris medicorum quos legi, aut nusquam aut rarissime inveniuntur in certis tantummodo quibusdam libris. Adde quod ejus modi dicendi rationes, quibus apud Atticos particulis μέν δή vel μὲν γὰρ tertia vel quarta adjicitur [1]), apud Hippocratem prorsus desunt. In libris vero, qui sunt de aëre aqu. locis et de capitis vulneribus praeter οὖν et γάρ particulas nulla ad particulam μέν accedit. His igitur praemissis ad singula transeamus.

Longe frequentissime omnium particularum οὖν ad voculam μέν accedit. Atque cum harum vocum usus apud Atticos duplex sit, cum primum in responsis et exclamationibus affirmandi vel gradationis causa ita ponantur, ut apud Latinos voculae immo vero, cujus rei Platonis dialogi permulta exempla offerunt, deinde in oratione continua affirmationem efficiant atque simul conclusionem indicent, apud Hippocratem haec tantummodo ratio invenitur. Atque ut jam supra narravi, hae particulae maxime usurpantur, si uberiore expositione per particulam μέν inducta, priusquam ad novam rem per perticulam δέ inducendam transit, illa

1) καὶ μὲν δή, ἀλλὰ μὲν δή-γε, μὲν γὰρ δή, μὲν γὰρ οὖν, cf. Ast. lex. Plat. II, 303.

paucis verbis comprehendit magnaque vi ac fide pronunciat, quare saepissime eas invenis in enumtiatis ut: περὶ μὲν οὖν τούτων οὕτω μοι δοκέει, περὶ μὲν οὖν τούτων οὕτως ἔχει et quae sunt similia, cf. de aër. aqu. loc. §. 13 (I, 286), 17 (I, 288), 21 (I, 289), de cap. vuln. §. 2 (I, 896). Maxime hujus usus exemplis abundat liber qui est de aëre aquis locis, in quo μὲν οὖν duodevicies exstat, totidemque fere exempla praebet liber qui est de victu acutor. Itaque mirum est, quod in libro qui est de capitis vulneribus illae particulae bis tantum inveniuntur et cum eo in hac re conspirant Aphorismi et libri Epidem. I et III. E reliquis libris numero exemplorum praeter eum, qui lex, de arte, de vetere medicina inscribitur, nullus libro, quem primum dixi, par est. Exstant autem particulae μὲν οὖν his fere locis: Coacae 217 (I, 152), 393 (I, 180), 400 (I, 181), 402 (I, 183), 452 (I, 190), Prognost. §§. 2 (I, 37), 13 (I, 38), 15 (I, 39), 32 (I, 42), 37 (I, 44). Epid. II, sect. 2, 24 (II, 1017); VI, sect. 7, 1 (II, 1193), de nat. hom. §§. 2 (I, 224), 3 (I, 225), 4 (I, 225), 6 (I, 226), 7 (I, 227), 13 (I, 230), 16 (I, 231), de flatib. §. 3 (I, 296) et 9 (I, 298) de medico §§. 1 (I, 19) et 9 (I, 21), de internn. affect. §§. 1 (I, 531), 20 (I, 542), de affection. §§. 1 (I, 516), 12 (I, 518), 17 (I, 520), 19 (I, 521), de morbis I, §§. 2 (I, 446), 5 (I, 447), 6 (I, 448), 10 (I, 450), 20 (I, 454), 25 (I, 458), 26 (I, 458), II, §§. 8 (I, 463), 9 (I, 464), III, §§. 6 (I, 489), 15 (I, 492), 16 (I, 496), de fractis §§. 2 (I, 750), 41 (I, 776), denique semel legitur in jure jurando. Multis horum locorum, quorum numerum fortasse augere possis, particulae μὲν οὖν pronomen demonstrativam, multis particulam ἦν sequuntur, multis etiam inter articulum et substantivum interpositae sunt. Denique moneo, libri, qui est de victu acutorum, partem spuriam a parte genuina valde differre; nam cum in hac μὲν οὖν satis frequenter usurpatum sit (cf. supra), in illa non plus quam duo exempla numeravi, cf. §. 3 (I, 396) et §. 21 (I, 399).

Usu particularum μὲν γάρ quarum suam quae quevim servat, libri qui Hippocrati ipsi tribuuntur, non multum differunt, nisi quod in libro, qui est de aëre aquis locis hae particulae fere octies, in reliquis rarius inveniuntur. Inter

ea scripta quae videntur supposita esse liber qui in Ermerinsii editione inscribitur lex, de arte, de vetere medicina, harum particularum multitudine insignis est. Nam positae sunt in eo semel et vicies. Praeterea leguntur his locis: Aphorism. sect. 2, 14 (II, 1243), sect. 2, 28 (II, 1245) sect. 3, 20 (II, 1247). Prognost. §§. 1 (I, 36) et 26 (I, 41) de morbo sacro §§. 4 (I, 303) et 9 (I, 305), de vict. acut. spur. §§. 21 (I, 399), 13 (I, 398), 48 (I, 404). de nat. hom. §. 5 (I, 226), ubi Ermerinsius particulam *γάρ* recte e Galeno revocasse videtur, de loc. in hom. §. 7 (I, 411) ubi *γάρ* in codice *H'* solo legitur. Particulae *μὲν δή* quae apud Platonem haud raro inveniuntur et per se positae et cum aliis particulis conjunctae [1]), in scriptis medicorum quae legi rarissime usurpantur. Primum enim in libris, quos Hippocrates ipse scripsisse fertur nusquam exstant, exceptis duobus locis libri qui est de victu acutorum, cf. §. 38 (I, 389). *Τιμωρητέον μὲν δὴ τοιόνδε τι μέρος τῷ ἐναντίῳ λόγῳ,* §. 66 (I, 395): *Μέγα μὲν δὴ μέρος χρὴ νέμειν τῷ κάμνοντι.* Utroque loco particulae codice vetustissimo servantur in altero vero Galeni auctoritas accedit. Deinde ne in suppositis quidem libris frequentius usurpantur. Nusquam enim eas repperi nisi his locis: Lex, de arte, de vet. med. §. 14 (I, 6): *τῶν μὲν δὴ τοιούτων πάντων ἐν ἅπασι τὰς ἀκέσιας ἀναμαρτήτους δεῖ εἶναι,* ubi *δὴ* in multis libris deest, de fractis §. 24 (I, 766) ubi legimus: *Ταῦτα μὲν δή, ὅσοισι τὰ μὲν ὀστέα κατέηγε, ἐξέχει δὲ μή, μηδὲ ἄλλως ἕλκος ἐγένετο.* Omnibus his locis idem fere significant quod *μὲν οὖν,* unde crebra harum particularum in codicibus confusio orta est, qualis etiam exstat in exemplo modo prolato, ubi unus codex *N* praebet *μὲν οὖν.* Similem significationem habet *μὲν τοίνυν,* quod exstat lex, de arte, de vet. med. §. 15 (I, 6), ubi legis: *ἔχουσι μὲν τοίνυν οἱ βραχίονες σάρκα τοιαύτην.*

His adjiciendae sunt paucae aliae particulae, quae cum particula *μέν* conjunctae in solo libro qui est de victu acutorum inveniuntur. In eo enim primum particulae *μέν τοι*

---

1) cf. Plat. Gorg. 470 B, ubi Socrates dicit: *Τοῦτο μὲν δή, ὡς ἔοικε, καὶ παρὰ σοῦ καὶ παρ' ἐμοῦ ὁμολογεῖται.* Non multo post (471, A) legis: *Ἀλλὰ μὲν δὴ πῶς οὐκ ἄδικος.*

exstant, cf. §. 17 (I, 386): *θνήσκουσι οἱ μέν τοι καὶ τὴν γνώμην βλαβέντες, οἱ δὲ ὑπὸ τῆς ὀρθοπνοίης*, e quibus verbis satis intelligitur, *μέν* et *τοι* non arcte inter se conjunctas esse; illa enim ad demonstrativum pertinet, haec totam sententiam graviter affirmat. Deinde in §. 56 (I, 393) legis: *Ἀλλ' ὕδατος μὲν πολλῷ ἰσχυρότερόν ἐστι (τὸ μελίκρητον)*. Apud Platonem et *ἀλλὰ-μὲν* et *ἀλλὰ μέν* non raro invenitur cf. Ast. lex. Plat. I, p. 102. Accedunt denique particulae *μέν γε* [cf. §§. 11 (I, 385) et 28 (I, 388)] de quarum significatione v. quae infra disputata sunt, ubi usum particulae *γὲ* descripsimus.

Perlustratis igitur his variis rationibus, quibus particula *μέν* in scriptis hippocrateis usurpata est, nonnihil simul jam cognitum habemus, quod ad particulam quae est *δέ* pertinet. Sed restat, ut usus hujus particulae per se positae investigetur. Atque praemittatur id quod in universum in hanc particulam valet, primum eam notam esse transitionis ad aliquam rem novam. Quod si constituimus, ejus vim duplicem esse apparet. Res enim quae inducitur, iis quae antecedunt aut par est ejusdemque generis, aut ab illis diversa. Si hoc fit ejus vis est adversativa, sin vero illud simpliter adnectit atque propius ad significationem particularum conjunctivarum accedit. Attamen ut supra dixi, hae duae rationes plerumque acute disjungi non possunt atque etiam eis locis, ubi *δέ* non diversam rem infert, si mavis, lenem quandam oppositionem subjicere potes. Horum igitur librorum, de quibus agimus, auctores, cum sententiam sententiae sine particulis adnectere omnino vitent, praeter *καί* et *τὲ* particulas maxime particula *δέ*, quae facillime transitum significat ideoque simplici scribendi generi apta est, enunciata inter se conjungunt. Quin etiam sat multis locis, ut postea accuratius exponetur, *δέ* ad ejusmodi rationes indicandas ponitur, quae, apud Atticos aliis particulis indicari solent.

Jam ad singula transiens, cum totam exemplorum molem in hac dissertatione proferre nequeam, primum paucos locos describam, ubi in particula *δέ* vis copulativa luculentius prae-

valere videtur. De aër. aqu. loc. §. 25 (I, 291) legis: *Ἐνταῦθα καὶ οἱ Σκύθαι διαιτεῦνται, Νομάδες δὲ καλεῦνται, ὅτι οὐκ ἔστι οἰκήματα, ἀλλ' ἐν ἁμάξῃσι οἰκεῦσι. Αἱ δὲ ἅμαξαί εἰσι αἱ μὲν ἐλάχισται τετράκυκλοι, αἱ δὲ ἑξάκυκλοι, αὗται δὲ πιλοῖς περιπεφραγμέναι*, Prorrheticus I, 142 (I, 80) *Ἧισι ἐκ ῥίγεος πυρετοὶ κοπιώδεες, γυνεικεῖα κατατρέχει, τράχηλοι δ'ἐν τούτοισι ὀδυνώδης αἱμορραγικόν.* Coaca 158 (I, 143): *οἱ διαλείποντες ἀνωμάλως δὲ χλιαινόμενοι κοιλίης ἐμφυσωμένης σμικρὰ διαδιδούσης, ὀσφυαλγήσασι μετὰ κρίσιν, τούτοισι κοιλίας καταρήγνυνται*, ubi cum in verbis *οἱ διαλείποντες* fere eadem notio insit, quae in *ἐνωμάλως χλιαινόμενοι* et utrumque ad eosdem homines spectet, nullam aliam rationem quam copulativam inter duo membra esse sane perspicuum est. — Prognost. §. 20 (I, 40) *ὑπόπυῤῥον* (*διαχώρημα*) *δὲ ἔστω καὶ μὴ λίην δυσῶδες καὶ τὴν ὥρην, ἥνπερ καὶ ὑγιαίνοντι ὑπεχώρει, πλῆθος δὲ πρὸς λόγον τῶν ἐσίοντων.* Deinde etiam hoc argumento sit, quod pro magis usitatis verbis *μάλιστα δέ* sine ullo discrimine significationis, cogitatione vero paullulum mutata, legitur *καὶ μάλιστα,* ut de aër. aqu. loc. §. 17 (I, 288) *Δεῖ δὲ καὶ τῶν ἄστρων τὰς ἐπιτολὰς φυλάσσεσθαι, καὶ μάλιστα τοῦ κυνός.* — *Μάλιστα δέ* invenitur, de aër. aqu. loc. §. 14 (I, 287): *ὥστε τοὺς πυρετοὺς ἐπιπίπτειν, ὀξυτάτους ἅπασι, μάλιστα δὲ τοῖσι φλεγματίῃσι.* Fere idem multis eorum locorum demonstrari potest, ubi particulam sequitur *καί* loco adverbii positum. E permultis exemplis haec affero: de vict. acut. §. 45 (391): *ἢν ὅλον τὸ σῶμα ἀναπαύσηται πολὺ παρὰ τὸ ἔθος, οὐκ αὐτίκα ἔρρωται μᾶλλον . . . οὕτω δὲ καὶ ἓν ἕκαστον τοῦ σώματος*, ubi quamquam inter *ἓν ἕκαστον τοῦ σώματος* et verba *ὅλον τὸ σῶμα* lenis oppositio intercedit, tamen propter adverbium *οὕτως δέ* adversativum esse non potest. Similiter comparata sunt verba in §. 36 (I, 389): *εὐφόρως μὲν φέρουσι τὰ βρώματα, ἃ εἰθίδαται, ἢν καὶ μὴ ἀγαθὰ ᾖ φύσι, ὡσαύτως δὲ καὶ τὰ ποτά . δυσφόρως δὲ φέρουσι τὰ βρώματα, ἃ μὴ εἰθίδαται, κἢν μὴ κακὰ ᾖ . ὡσαύτως δὲ καὶ τὰ ποτά .* cf. ibid. additamentorum §. 44 (I, 404): *ὁκόσοι δὲ μονοσιτεῦσι, δειλοὶ καὶ ἀδύνατοί εἰσι καὶ οὐρέουσι θερμὸν παρὰ τὸ ἔθος κενεαγγέοντες . γίγνεται δὲ καὶ τὸ στόμα ἁλυκὸν κτλ.*

Porro particulam poni ad aliquam rem alii adjiciendam

optime probatur usu locutionum *ἔτι δέ*[1]) et *χωρὶς δέ* et quae sunt similes, cf. de aër. aqu. loc. §. 10 (I, 285): *διὰ ταῦτα δὲ καὶ σήπεται τῶν ὑδάτων τάχιστα ταῦτα καὶ ὀδμὴν ἴσχει πονηρὴν τὸ ὄμβριον, ὅτι ἀπὸ πλείστων ξυνῆκται καὶ ξυμμέμικται, ὥστε σήπεσθαι τάχιστα. Ἔτι δὲ πρὸς τούτοισιν, ἐπειδὰν ἀναρπασθῇ καὶ μετεωρισθῇ περιφερόμενον καὶ καταμεμιγμένον ἐς τὸν ἠέρα τὸ μὲν θολερὸν αὐτοῦ καὶ νυκτοειδὲς ἐκκρίνεται καὶ ἐξίσταται,* cf. ibid. §. 3 (I, 282): *ταῦτα μὲν τὰ νοσήματα αὐτέοισι ἐπιχώριά ἐστιν. χωρὶς δὲ ἤν τι πάγκοινον κατάσχῃ νόσημα . . καὶ τουτέου μετέχουσι.* Qui plura exempla desiderat, videat ibid. §. 7 (I, 284) §. 29 (I, 293), ubi vulgo legitur *ἔτι τε*, de vict. acut. §. 29 (I, 388), Prognost. §. 20 (I, 40). Epid. II, 2, 6 (II, 1012). Eadem vis est particulae *δέ* in verbis *ἅμα δέ*, quae e. c. exstant Prognost. §. 31 (I, 42), ubi legis: *ὁκόσα δὲ ὀλιγοχρόνιά ἐστι σημαίνεσθαι, τούτων ἤν τι ἐπιφαίνηται, οἷα καὶ τὰ ἐν ἀρχῇσι γιγνόμενα, ἅμα δὲ καὶ ἤν τι δυσπνούστερος ᾖ ὁ ἄνθρωπος.*

Prolatis his exemplis in quibus *δέ* magis vel minus a significatione particulae adversativae recedit jam ejus vis vere adversativa consideranda est, quam maxime apparere, ubi oppositio est inter *μέν* et *δέ* supra vidimus. Sed ut particulae *μέν* interdum *δέ* non respondet, ita etiam non raro *δέ* in oppositione duarum rerum alteram infert, particula *μέν*, quae in priore membro exspectatur, non praemissa, ubi *μέν* conjecturâ scribere perversum esset, quod Graeci ipsi in primo membro oppositionem nondum significari voluerunt. Hoc oppositionis genus illo, quod particula *μέν* adhibita efficitur, infirmius esse, inde patet quod prius membrum non satis effertur, et cum legentis animus ab initio nulla particula ad oppositionem praeparetur, haec minus animadvertitur. Atque exemplo quod Devarius p. 58 ex Aphorism. section. I, 1 (II, 1242) citavit: *ὁ βίος βραχύς, ἡ δὲ τέχνη μακρή* haec addere liceat: de cap. vuln. §. 12 (I, 902) *τὰς γὰρ φλάσιας καὶ τὰς ῥωγμὰς τὰς οὐ φαινομένας ἐν τῷ ὀστέῳ, ἐνεούσας δέ, ἐκ τῆς ὑποκρίσιος τοῦ τετρωμένου πρῶτον διαγιγνώσκειν πειρᾶσθαι.* Epid. VI, 4, 8 inter se opponuntur: *τὰ ἔξω . . τὰ*

1) Ut pro verbis *μάλιστα δέ* invenitur *καὶ μάλιστα*, ita etiam *καὶ ἔτι* dici testatur de aër. aqu. loc. §. 28. (I, 292).

ἔσω δὲ. de victu acut. §. 23 (I, 387) legis: ἢν δὲ ὑπὸ τὰς φρένας ᾖ τὸ ἄλγημα, ἐς δὲ τὴν κληῖδα μὴ σημαίνῃ, μαλθάσσειν χρὴ τὴν κοιλίην, ubi ὑπὸ μὲν τὰς φρένας aptissime dicere potuisset, nisi hanc particulam omittere praeferret, ut videtur propter δέ. Nam compluribus aliis locis idem factum esse observavi, in quibus sententia per voculas καί, τε, δέ prioribus adnexa est, ut de aër. aqu. locis §. 4 (I, 282): καὶ αὐτῇ ταῦτα τὰ πνεύματά (int. τὰ θερμά) ἐστι ξύννομα, τῶν δὲ ἀπὸ τῶν ἄρκτων πνευμάτων σκέπη, ibid. §. 8 (I, 284): τοῦ τε χειμῶνος θερμὰ γίγνεται, τοῦ δὲ θέρους ψυχρά. Prognost. §. 14 (I, 39): Τὸ δὲ πῦον ἄριστον λευκόν τε εἶναι καὶ ὁμαλὸν καὶ λεῖον καὶ ὡς ἥκιστα δυσῶδες, τὸ δὲ ἐναντιώτατον τούτου κάκιστον. His adjicio verba in Epid. I, aegr. 13 (II, 990), quae haec sunt: πάντων ἐκουφίσθη, κεφαλῆς δὲ καὶ τραχήλου καὶ ὀσφύος πόνοι παρέμενον, nulla alia de causa, quam quod in omnibus ejusdem generis sententiis priori membro constanter μέν appositum est. cf. ibid. aegr. IV (II, 976): προςθεμένῃ δὲ ταῦτα μὲν ἐκουφίσθη, κεφαλῆς δὲ καὶ τραχήλου καὶ ὀσφύος πόνος παρέμενον. Atque eandem fere sententiam ita comparatam legimus ibid. aegr. 5 (II, 979) et 11 (987). — Exempla ut hoc: ὕπνοι βαθέες μὴ ταραχώδεες βεβαίαν κρίσιν σημαίνουσι. οἱ δὲ ταραχώδεες μετὰ ἀλγήματος ἀβέβαιον (Coaca 151; I, 141) in praenotionibus Coacis hac dicendi ratione insignibus alia exstant sat multa. cf. Coacae 25 (I, 120), 26 (I, 120), 77 (I, 128), 87 (I, 129), 160 (I, 144), 180 (I, 147).

Non raro etiam in priore parte anaphorae, cujus membra, ut supra vidimus, particulis μὲν-δέ inter se opponi solent, omissum est μέν, ut de vict. acut. §. 24 (I, 387): Τῆς μέντοι πτισάνης, ὁκόταν πίῃ τὸ φάρμακον, ἐπιῤῥοφέειν αὐτίκα χρὴ διδόναι, μηδὲν ἔλασσον ἀξίως λόγου ἢ ὁκόσον εἴθιστο . . . ὁκόταν δὲ λήξῃ ἡ κάθαρσις, τότε ἔλασσον ῥοφεέτω ἢ ὁκόσον εἴθιστο, ibid. §. 28 (I, 388) καὶ τοὺς μέν γε μὴ μεμαθηκότας ἂν ἀριστᾶν, ἢν ἀριστήσωσι, εὐθέως ἀῤῥώστους ποιέει . . . ἢν δὲ καὶ ἐπιδειπνήσωσι, ὀξυρεγμιώδεας. Coaca 400 (I, 181): Τοῖσι περιπνευμονικοῖσι οἷσι γλῶσσα πᾶσα λευκὴ καὶ τρηχεῖα γίγνεται, ἀμφότερα φλεγμαίνει τὰ μέρεα τοῦ πνεύμονος. οἷσι δὲ τὸ ἥμυσι, ἓν καθ' ὃ φαίνεται. Aphorism. sect. II, 20 (II, 1244)

et sect. V, 71 (II, 1256): ὁκόσοισι . . . ὁκόσοισι δέ, sect. IV, 52 (II, 1251) ὁκόσοι . . . ὁκόσοι δέ; ibid. 64 (II, 1251): ἤν . . ἤν δέ, idem sect. V, 15 (II, 1253); sect. VI, 2 (II, 1256): οἷσι . . οἷσι δέ; Prognost. §. 35 (I, 43): ἤν . . ἤν δέ (εἰ δέ); de natura hom. §. 9 (I, 228): ὁκόσα . . ὁκόσα δὲ . . ὁκόσα δὲ . . ὁκόσα δέ; de morbis I, 22 s. f. (I, 457) ἄλλοτε . . ἄλλοτε δὲ [1]) . . ἄλλοτε δέ; de affection. §. 20 (I, 521): ἄλλοτε . . ἄλλοτε δέ. — E libro qui est de aëre aquis locis unum tantum exemplum afferre possum, quod exstat in §. 15 (I, 287) ubi legis: Ἢν δ'ὁ χειμὼν νότιος γένηται . . . πρῶτον μὲν τὰς γυναῖκας, ὁκόσαι ἂν τύχωσι ἐν γαστρὶ ἔχουσαι . . . ἐκτιτρώσκεσθαι, ὁκόσαι δ'ἂν καὶ τέκωσι, ἀκρατέα τὰ παιδία τίκτειν. Sed ne hoc quidem cum eis anaphorae exemplis, quae modo enumeravi ab omni parte comparari potest, quoniam in priore membro ἄν positum est, propter quod μέν omissum esse videtur, ne hae duae particulae concurrant. Atque eodem modo reliqua hujus anaphorae exempla, quae in hoc libro exstare videntur, ab illis differunt, quod in priore membro aliam particulam ubique deprehendis. In hoc enim membro particulam γάρ collocatam invenis in §. 9 (I, 284), ubi legis: ὁκόσα γὰρ ὕδατά ἐστι ἕψειν ἄριστα καὶ τακερώτατα, τοῦτα καὶ τὴν κοιλίην διαλύειν εἰκὸς . . . ὁκόσα δέ ἐστι ἀτέραμνα . . ταῦτα δὲ ξυνίστησι. Simili modo in §. 20 (I, 289) inter se respondent ὁκοῦ γὰρ . . . ὁκοῦ δέ, similiter in Aphorism. sectione II, 15 (II, 1244), quibus tamen locis particulam quae est γάρ, modo ad ea spectare, quae antecedunt, per se intellegitur. In libris vero Epidemiorum et in libro qui est de capitis vulneribus primam anaphorae partem particula μέν carentem nusquam reperimus, uno loco excepto. Legis enim Epid. III, in descriptionis pestilentiae §. 3 (II, 1083) haec: οἷσι γὰρ ἐς ἐκπύημα ὁ τῶν τοιούτων ἀφίκοιτο πεπασμὸς, οἱ πλεῖστοι τούτων ἐσώζοντο . οἷσι δὲ ἡ μὲν φλεγμονὴ κτλ. In libro vero, qui est de capitis vulneribus bis prior pars ducitur a particula καί, ut in §. 30 (I, 913), ubi legis: καὶ ἢν αὐτίκα βούλῃ, ἐκπρίσαι τὸ πρὸς τὴν μήνιγγα . . ὡσαύτως χρὴ πυκνά τε ἐξαιρέειν τὸν πρίονα καὶ ἐναποβάπ-

1) δέ om. vulg.

τειν τῷ ὕδατι τῷ ψυχρῷ. Alterum exemplum invenitur sub finem §. 31 (I, 913). Quod autem modo dixi, id genus anaphorae, in cujus priore membro nulla particula, in altero *δέ* ponitur, in his libris evitatum esse, etiam inde mihi apparere videtur, quod nonnullis locis, ubi admissum esse videtur ea vox cujus repetitione anaphora efficitur, altero loco alia permutata est, ita ut propria anaphora sublata sit. Ita inter se opposita sunt *ὅταν . . ὁκόταν δέ* cf. de aëre aqu. loc. §. 10 (I, 285), *ὁκόταν . . ὅταν δέ* cf. ibid. §. 29 (I, 293), *ὁκοῦ . . . ὁκόσοι δέ* §. 31 (I, 294). Illa membrorum responsio: *ὁκόταν . . ὅταν δέ* invenitur etiam de morbis I, 20 (I, 454).

Denique hoc loco in memoriam revocare liceat formulam *πρῶτον . . ἔπειτα δὲ*, et similes ut *τὴν ἀρχὴν . . ἔπειτα δέ*, quae exstat in libri, qui est de natura hominis §. 15 (I, 230), *εὐθὺς . . ἔπειτα δέ*, quae invenitur de internn. affect. §. 24 (I, 545).

Ea vero anaphorae species, in cujus utroque membro *δέ* invenitur, e quibus prius totam sententiam prioribus adjungit, maxime exstat in libro Epidemiorum sexto, e quo haec exempla affero: Sect. VI, 5 (II, 1190), *ἔστι δ' οἷσι πυρετοί . ἔστι δ'οἷσι οὔ, ἀλλὰ ξὺν ἱδρῶσι . ἔστι δ' οἷσι ξὺν ὄχλῳ, ἔστι δ' οἷσι καρφαλέον καὶ περιτεταμένον τὸ δέρμα καὶ ἁλμυρῶδες.* — Sect. III, 23 (II, 1176) *οἱ αἱμοῤῥοΐδας ἔχοντες οὔτε πλευρίτιδι . . οὔτε τερμινθίοισι ἁλίσκονται, ἴσως δὲ οὐδὲ λέπρῃσι, ἴσως δὲ οὐδὲ ἄλλοισι* (quae sententia ad verbum iteratur in libri, qui est de humoribus §. 20 [I, 51]), sect. II, 7 (II, 1169). *Ἀποστάσιες οὖν ποιέειν αὐτὸν μὴ γιγνομένας — τὰς δὲ παρακλίνειν ἤδη γιγνομένας — τὰς δὲ ἀποδέχεσθαι . . τὰς δὲ ἀποτρέπειν.* Quae verba cum lenissime mutata legantur Epid. II, sect. 3, 8 (II, 1027), in quo libro, quod sciam, praeter hoc nullum hujus modi anaphorae exemplum exstat, huc e libro sexto transposita esse verisimile est. His jam unus locus subjiciendus est, qui exstat Epid. I, 1 (II, 938), ubi scriptum est: *Πολλοῖσι δὲ βῆχες ξηραὶ καὶ φωναὶ βραγχώδεες οὐ μετὰ πουλὺ, τοῖσι δὲ καὶ μετὰ χρόνον φλεγμοναὶ μετ' ὀδύνης ἐς ὄρχιν ἑτερόῤῥοποι, τοῖσι δὲ ἐς ἀμφοτέρους.* Littréus eumque secutus Ermerinsius, interpunctione post

vocem *βραγχώδεες* posita, verba *οὐ μετὰ πουλύ* ad vocem *φλεγμοναί* referunt, quo facto, cum *δέ* contra suam rationem ab initio membri rejiciatur, constructio prorsus confunditur. Accedit quod verba *οὐ μετὰ πουλύ* et *καὶ μετὰ χρόνον*, intra idem membrum contrusa, sine dubio inter se pugnant. Vulgata vero lectio, quam attuli, cum nihil offensionis praebeat et bene intelligatur, mihi non mutanda esse videtur. Praeter haec noto Coac. 522 (I, 204), ubi legis: *ἐπιληπτικὰ ἐκ τῶν τοιούτων, ἐνίῃσι δὲ ὑποφοραὶ μακραί, ἐνίῃσι δὲ αἱμορροΐδες.*

Sed his missis transeo ad aliam rationem particulae *δέ* usurpandae, quae in his libris frequentissima est. Saepius enim auctor e sententia modo prolata quasi se corrigens, certam quandam vocem depromit, de qua accuratius dicat. Haec iterata, per particulam *δέ* infertur, ut de vict. acut. §. 23 (I, 387): *ἄμφω δὲ ταῦτα ὀδίνην παύει . παύει δὲ καὶ ἄλλα συχνὰ τῶν ἱπηλάτων*, de cap. vuln. §. 2 (I, 896) *ἀποχωρέον . . ἐς τὴν διπλόην . ἡ δὲ διπλόη τὸ κοιλότατον . . καὶ μάλιστα σηραγγῶδές ἐστι* . de locis in hom. §. 13 (I, 413): *ἀπάγειν . . . ἀπάγειν δέ*, de affection. §§. 18 (I, 520) et 41 (I, 526): *διδόναι . . διδόναι δέ*; de morbis I, 13 (I, 451): *καὶ τέλος ἡ κοιλίη ἡ κάτω ταράσσεται, ταράσσεται δὲ ὑπὸ τοῦ φλέγματος . τὸ δὲ φλέγμα ἐκ τῆς κεφαλῆς καταβαίνει . οὗτος ὅταν ἐς τοῦτο ἀφίκηται ἀπόλλυται . ἀπόλλυται δὲ ᾗ εἴρηται ἐν τοῖσι ἔμπροσθεν*, cf. §. 14 (I, 451) *ἀπόλλυται . . ἀπόλλυται δέ*, §. 20 (I, 454): *πελιδνή . . . πελιδνή δέ*, ubi verba *πελιδνή δέ* cod. *ϑ* servat, vulgata omisit, quam recentioris manus scripturam esse recte Ermerinsius judicat (cf. adn. ad §. 13, s. f.), quare ubicumque codices in his fluctuant, illam figuram, quae sine dubio antiqui sermonis speciem prae se fert, servandam esse existimo. Triplex repetitio reperitur de internn. affect. §. 35 (p. 364), (I, 551), ubi legitur: *μαράθρου ῥίζας ἕψειν ἐν δύο χοεῦσι ὕδατος, ἕψειν δὲ ἕως ἂν λειφθῇ τὸ ἥμισυ . ἕψειν δὲ καὶ ἐρεβίνθων λευκῶν χοίνικα ἐν δυσὶ χοεῦσι.* Ita post superlativum, praecedente positivo, *δέ* invenitur, cf. Coac. 442 (I, 188): *ἐπὶ πᾶσι ὑποχόνδρια μετέωρα κακόν . κακίστον δὲ ἐπὶ τοῖσι φθισικοῖσι*, (cf. p. 18). Similiter in Coaca 497 (I, 197). Ante comparativum, praecedente positivo, *δέ* positum est in libro Praedictor. I, 125

(I, 78): *Τὸ ἀνάπαλιν αἱμοῤῥαγέειν κακόν. ἐφιδρῶντι δὲ κάκιον.* Nonnunquam vero etiam ita pergitur, ut non eadem vox iteretur, sed cognata quaedam ponatur, ita ut e. c. nomine praecedente, verbum, quod huic respondet, per particulam *δέ* inferatur, ut de aër. aqu. loc. §. 24 (I, 291): *Τούτων* (i. e. *τῶν Σκυθῶν*) *αἱ γυναῖκες ἱππάζονται . . . καὶ μάχονται ἕως ἂν παρθένοι ἔωσι. οὐκ ἀποπαρθενεύονται δὲ μέχρις ἂν τῶν πολεμίων τρεῖς ἀποκτείνωσι.* Epid. III, sect. 3, 7 (II, 1086): *τῶν πολλῶν ἐνόντων τε καὶ ἐπισχόντων διέξοδοι. τὰ δὲ διεξιόντα πόνους οὐ λύοντα*, ubi *δέ*, quod Galenus et tres codices tuentur, non *τε*, praestare videtur, non modo propter analogiam eorum locorum, quos attuli atque adlaturus sum, verum etiam quia postrema verba prioribus quodam modo objiciuntur. Sed in enunciatis ita comparatis *δέ* saepissime vim particulae *γάρ* (nämlich) accipit, id quod nisi e verbis modo adlatis libri, qui est de aëre aquis locis, satis perspicue senseris, certe demonstrabunt loci, quos jam e libris subditiciis describo: cf. de flatib. §. 7 (I, 297): *πνεύματος ἐπίπλεων γίγνεται* (*τὸ σῶμα*) *τῶν σιτίων χρονιζομένων. χρονίζεται δὲ τὰ σιτία διὰ πλῆθος οὐ δυνάμενα διελθεῖν*, de morb. II, 5 (I, 463) post verba: *ἢν σφακελίσῃ ὁ ἐγκέφαλος - αἷμα*, definitio quibus occasionibus fiat sideratio cerebri his verbis introducitur: *Σφακελίζει δὲ ὁ ἐγκέφαλος*, cf. de morbis III, 2 (I, 488).

Eadem particulae *δέ* vis in parenthesi manifesta est, v. de aër. aqu. loc. §. 26 (I, 291): *ἀλλ᾽ ἀπὸ τῶν ἄρκτων ἀεὶ πνέουσι πνεύματα ψυχρὰ ἀπό τε χίονος καὶ κρυστάλλων καὶ ὑδάτων πολλῶν — οὐδέποτε δὲ τὰ ὄρεα ἐκλείπει — ὑπὸ τούτων δὲ δυσοικητά ἐστι*, ad quae verba Ermerinsius adscripsit »posse aliquem forte malle *οὐδέποτε γάρ*, sed vulgatam tamen servari posse se putare.« Nimirum servanda est! Ermerinsius hoc adnotavit, quasi non notissima res esset, particulae *δέ* eam vim inesse, ut locum particulae *γάρ* obtinere possit. De hac re jam monuerunt Vigerus, cap. VIII, sect. 8, p. 543, Hartung, l. l. I, p. 167, Klotzius ad Devar, p. 362. Sed ne quis me hoc dicere opinetur, particulam *δέ* ita usurpatam prorsus idem significare quod *γάρ*, quo jure *δέ* pro *γάρ* ponere liceat narrabo. *Δέ* enim etiam ejusmodi locis proprie

orationem ad aliquid novi transire indicat. Atque cum ejus significatio sit latissima, Graeci etiam ad sententias inferendas ea uti poterant, quibus causa aut expositio continetur, rationem, quae inter novam sententiam et priora intercedat, non distinctius indicantes, sed legentis judicio permittentes, ut ipse, qualis sit inveniat [1]). Qua re exposita intelligi potest, quantopere hic usus simplici cogitandi et scribendi rationi Hippocratis respondeat, aliorumque medicorum, quibus hi libri debentur. Et possum hunc usum, qui ab aliorum scriptorum sermone minime alienus est (cf. Plat. Gorg. 461, D.; Il. *Γ*, 410) his exemplis hippocrateis illustrare: de cap. vuln. §. 28 (I, 911): *χρὴ . . μὴ διατρίβειν ἀλλὰ πρίσαντα τὸ ὀστέον πρὸς τὴν μήνιγγα ἢ καταξύσαντα τῷ ξυστῆρι — εὔπριστον δὲ γίγνεται καὶ εὔξυστον — ἔπειτα τὰ λοιπὰ κτλ.* Lex, de arte, de vet. med. §. 27 (I, 11), de internn. affect. §. 1 (I, 531) et saepius in hoc libro, de morb. I, 20 (I, 455). Alia exempla, in quibus idem animadvertitur, praeter parenthesin, haec sunt: de cap. vuln. §. 25 (I, 910): *καὶ οὐ χρὴ πρίειν τῶν τοιούτων οὐδὲν, οὐδὲ κινδυνεύειν τὰ ὀστέα πειρώμενον ἀφαιρέειν, πρὶν ἢ αὐτόματα ἐπανίῃ . . . Ἐπανέρχεται δὲ τῆς σαρκὸς ὑποφυομένης.* Lex, de arte, de vet. med. §. 29 (I, 12): *αἱ δὲ τοιαῦται κοιλίαι κτλ.* de nat. hom. §. 1 (I, 224): *Φασὶ γὰρ ἕν τι εἶναι ὅτι ἐστὶ καὶ τοῦτο εἶναι τὸ ἕν τε καὶ τὸ πᾶν, κατὰ δὲ τὰ οὐνόματα οὐχ ὁμολογέουσι . λέγει δ' αὐτῶν ὁ μέν τις φάσκων ἠέρα τοῦτο εἶναι, ὁ δὲ πῦρ, ὁ δὲ ὕδωρ, ὁ δὲ γῆν κτλ.* — de affection. §§. 52 (I, 529) et 60 (I, 530) *διαφέρει δέ* — de morbis I, 31 (I, 461): *εἰδέναι δὲ χρὴ ἰσχυρὴν ἐοῦσαν τὴν νοῦσον . ὁκόταν τὸ σίαλον ὑπόπαχυ ἄρξονται πτύειν καὶ καθαίρεσθαι μάλιστα τότε . πτύεται δὲ ἀπὸ διατάσιος τῶν φλεβῶν κτλ.* ad quem locum Ermerinsius iterum haec adnotavit: »Quod si hic *πτύεται γάρ* scriptum esset in libris, fere praeferrem, licet nihil mutem.« Si viro sermonis graeci tam perito tale quid in mentem venit, quanto facilius librariis accidere potuit, ut pro *δέ* re vera scriberent *γάρ*, usum illius particulae ignorantes! Quare omnibus eis locis, ubi

1) Similiter de hac re disputant G. Hermannus ad Viger. p. 845 Klotzius ad Devar. p. 362.

codicum scriptura inter particulas *δέ* et *γάρ* fluctuat, ut lex, de arte, de vet. med. §. 10 (I, 4) de morbo sacro §. 16 (I, 308), ibid. §. 20 (I, 310) deliberandum est, an *δέ* ut genuinum et simplici dicendi rationi in his libris magis consentaneum praeferendum sit.

Ut apud alios scriptores Graecos (cf. Klotz ad Devar. p. 360 sqq. Hartung in doctr. part. ling. gr. vol. I, p. 171 et 172) sic etiam in his libris post sententiam negativam vis particulae *δέ* adversativa augetur, ut fere idem valeat, quod vulgo *ἀλλά* (cf. p. 10) ut de cap. vuln. §. 28 (I, 911): *ὁκόταν τις ὀστέον κατεηγὸς ἢ ἐρρωγὸς . . μὴ ἐννοήσας ἁμάρτῃ καὶ μήτε ξύσῃ, μήτε πρίσῃ δεόμενον, μεθῇ δὲ ὡς ὑγιέος ὄντος τοῦ ὀστέου, . . . πύρετος ἐπιλήψεται,* de vict. acut. §. 15 (I, 385): *οὐδαμῇ γὰρ προσίσχει (ἡ πτισάνη) οὐδὲ μένει κατὰ τὴν τοῦ θώρηκος ἴξιν . ὀλισθηροτάτη δὲ . . ἐστι*, quo loco utrum *δέ* cum particula *ἀλλά* an cum *γάρ* permutare possis, dubitaveris; sed in proximae paragraphi verbis quae haec sunt: *ἢν μὴ λύσῃ τις τὴν ὀδύνην . . τὰς δὲ πτισάνας ἢν οὕτως ἔχουσι διδῷς, ταχέες οἱ θάνατοι γίγνονται,* sine dubio *δέ* idem quod *ἀλλά* valet. cf. Prognost. §. 13 (I, 39): *ἥκιστα δὲ τὰ ὑποκάτω τοῦ ὀμφαλοῦ ἐς ἀποπύησιν τρέπεται . αἵματος δὲ ῥῆξιν ἐκ τῶν ἄνω τόπων μάλιστα προςδέχεσθαι,* de officina med. §. 5 (I, 742): *Ὄργανα μὲν καὶ ὅτε, καὶ οἵως εἰρήσεται . ὅκου δεῖ, μὴ ἐμποδὼν τῷ ἔργῳ μηδὲ ἐμποδὼν τῇ ἀναιρέσι, παρὰ τὸ ἐργαζόμενον δὲ τοῦ σώματος.* Denique exempli, quod supra e libro, qui est de locis in homine, descripsi, ubi particulis *μὲν . . ἀλλὰ . . μὲν . . δὲ* singula membra disjunguntur, hoc loco obiter mentionem fecisse sufficiat.

Δέ in apodosi positum jam supra ex illa sententiarum structura, particulis *μὲν . . μὲν . . δὲ . . δὲ* formata cognovimus. Jam exempla afferam, in quibus sola particula *δέ* iteratur, simplici *μέν* praecedente. Et primum quidem post demonstrativum e praemissa sententia relativa repetitur, cf. de aër. aqu. loc. §. 9 (I, 284): *ὁκόσα γὰρ τὰ ὕδατα ἐστι ἕψειν ἄριστα καὶ τακερώτατα, ταῦτα καὶ τὴν κοιλίην διαλύειν εἰκὸς μάλιστα καὶ διατήκειν . ὁκόσα δὲ ἐστι ἀτέραμνα καὶ ἥκιστα ἕψειν ἀγαθὰ, ταῦτα δὲ ξυνίστησι μᾶλλον τὰς κοιλίας,*

ibid. §. 33 (I, 295): *ὁκοῦ μὲν γὰρ ἡ γῆ πίειρα καὶ μαλθακὴ . . ἐνταῦθα καὶ οἱ ἄνθρωποι σαρκώδεες εἰσι . . ὁκοῦ δὲ ἐστὶν ἡ χώρη ψιλή τε καὶ τρηχεία καὶ ὑπὸ τοῦ χειμῶνος πιεζομένη . . ἐνταῦθα δὲ σκληρούς τε καὶ ἰσχνοὺς καὶ διηρθρωμένους ἂν ἴδοις.* E libris subditiciis haec affero: de affection. §. 1 (I, 516): *Δεῖ δὲ πρὸς ταῦτα τὸν ἰδιώτην ἐπίστασθαι, ὁκόσα εἰκὸς ἰδιώτην . ὅσα δὲ τοὺς χειροτέχνας εἰκὸς ἐπίστασθαι καὶ προςφέρειν καὶ διαχειρίζειν, περὶ δὲ τούτων καὶ τῶν λεγομένων καὶ τῶν ποιευμένων οἷόν τε εἶναι γνώμῃ τινὶ ξυμβάλλεσθαι,* e quibus verbis Ermerinsius particulam *δέ* ante *τούτων*, quod otiosa et a librariis invecta esse videretur ejecit, ut contra hanc particulam in apodosi collocatam pugnare solet, etiam ubi majore codicum numero exhibetur. Sed falso! nam etiam optimos scriptores Atticos hac particula ita usos esse satis constat, de quo usu post Werferum (Act. Monac. I, p. 88 sqq.) copiose disputavit Phil. Buttmannus ad Demosth. Midianam excurs. XII, p. 147—160, qui vir doctus ibidem recte hoc fere dicit, oppositionis formam in apodosi servari, ut cum pondere audienti inculcetur. Cum exemplo, quod modo ex Hippocrate descripsi, comparari potest Plat. Prot. 325 C, ubi haec verba sunt: *ἐφ' ὧν δὲ ἥ τε ζημία θάνατος αὐτῶν τοῖς παισὶ καὶ φυγαὶ μὴ μαθοῦσι . . ., ταῦτα δ' ἄρα οὐ διδάσκονται,* cf. ibid. 313, A: *ὁ δὲ περὶ πλείονος τοῦ σώματος ἡγεῖ . . περὶ δὲ τούτου κτλ.,* cujus rei plura exempla attulit platonica Stallbaum ad Plat. Phaed. 78. C. et ad Prot. l. l.

Eadem injuria ut in libro, qui est de affectionibus, Ermerinsius particulam *δέ* delevit de morbis I, 5 (I, 448), ubi scribendum est: *ὁκόσα δὲ τῶν νοσημάτων . . ., τούτοισι δὲ ἀρκέουσι*, de nat. hom. §. 15 (I, 230): *ὁκόσοισι δὲ μοῦνον αἱματώδεα τὰ οὐρήματα, τούτοισι δὲ αἱ φλέβες πεπονήκασι*, particula *δέ* post *τούτοισι* e libris A C revocanda est, ibid. §. 14 (I, 230) Ermerinsius scripsit: *ὁκόσα τῶν νοσημάτων ἐξ ὀλίγου γίγνεται καὶ ὁκόσων αἱ προφάσιες εὔγνωστοι ταῦτα δὲ ἀσφαλέστατά ἐστι προδιαγορεύεσθαι,* priori membro post *ὁκόσα* e Galeno *δέ* inserendum est, quod in nullo horum exemplorum desideratur. Praeterea ter invenimus *δέ* in apodosi, conjunctione, quae est *ἤν*, protasin inferente, ut de

morb. III, 16 (I, 493): Ἢν δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν μαλθακαί τινες ἔχωσι ὀδύναι, ἀπὸ τῆς πέμπτης δὲ καὶ ἕκτης ὀξέαι, αὗται δὲ τελευτῶσι μέχρι δυοκαιδεκάτης, ubi Littréus et Ermerinsius solius codicis ϑ auctoritate δέ in apodosi omittunt, cf. Epid. VI, sect. 2, 14 (II, 1170): Ἀντισπᾶν, ἢν μὴ ᾗ δεῖ ῥέπῃ, ἢν δὲ ὅπῃ δεῖ, τούτοισι δὲ στομοῦν, de morbis I, 8 (I, 449), ἢν δὲ ὠφελήσῃ, τοῦτο δὲ οὐχ ὁμαλῶς ἐπαινέουσι, ubi Littréus particulam e libris manuscriptis recte videtur dedisse. Exemplum quod his e libris vere hippocraticis conferam, non habeo.

Cum his locis non confundendi sunt ei, ubi alterum δέ nihil est quam repetitio prioris (cf. Buttmann. l. l. p. 152, G. Hermann ad Viger. p. 844), cujus dicendi generis in libris, de quibus nunc quaerimus, non multa exempla exstant, obscurata insuper opera hominum doctorum. Sic de fract. §. 8 (I, 752) scriptura vulgaris haec est: τὸ δ'ἐν τῇ ξυμκάμψι ἐὸν, ἀπ' ὅτευ τὸν πῆχυν οἱ ἄνθρωποι μετρέουσι, τοῦτο δὲ τοῦ βραχίονος ἡ κεφαλή ἐστι. Littréus pro τοῦτο δέ conjecit τοῦτο δή quod Ermerinsius accepit. Sed nemo dubitabit, quin τοῦτο prorsus idem significet hoc loco, quod τὸ ἐν τῇ ξυμκάμψι ἐόν (intell. τὸ ὀστέον); notionem enim, his verbis subjectam, cum enunciato interposito definiatur, scriptor demonstrativo τοῦτο denuo efferri voluit. Sequitur, ut etiam δέ post pronomen τοῦτο nihil aliud sit quam prius δέ iteratum. Itaque in vulgata nihil mutandum est. Quae res periodo, quae antecedit, mihi videtur confirmari. Hac enim quoque periodo duae partes (τὸ ὀστέον τὸ παρὰ τὸν καρπὸν ἐξέχον ... τοῦτο μὲν τοῦ πήχεός ἐστι), quae ad eandem rem redeunt, continentur, sed etiam hîc in altera summa vis est, ita ut apte inter se respondeant: τοῦτο μὲν τοῦ πήχεός ἐστι . . . τοῦτο δὲ τοῦ βραχίονος ἡ κεφαλή ἐστι. Insigne est exemplum in libri, qui est de morbis II i, §. 4 (I, 462), ubi scriptor de abundantia sanguinis in venis ita disserit: Ἢν δὲ αἱ ἐν τῇ κεφαλῇ ὑπεραιμώσωσι φλέβες, ὑπεραιμόουσι δὲ ὑπὸ τῶν αὐτῶν, ἃ καὶ ἐν τῷ πρόσθεν εἴρηται. σημήϊον δὲ ὅτι τοιούτῳ τρόπῳ ὑπεραιμόουσι τόδε. ὅταν τις ἢ χεῖρα τοῦτο πάσχουσαν ἐπιτάμῃ . . . ἢ ἄλλο τι τοῦ σώματος, τὸ αἷμα μέλαν ῥέει καὶ θολερὸν καὶ νοσῶδες· — ὅταν δὲ ὑπεραιμώσωσι ὑπὸ τῶν αὐ-

των, ἴσχει ὀδύνη καὶ σκοτοδινίη καὶ βάρος τὴν κεφαλήν. Priori hypothesi, quae a verbis ἦν δέ ducitur, apodosis non respondet, sed, compluribus enunciatis explicationis causa interjectis, repetitur, quare etiam alterum δέ nihil est quam interatio prioris, ita tamen, ut simul ea quae antecedunt, complectatur similiter ut οὖν in apodosi positum (cf. Klotz ad Devar. p. 718). Memoro haec, quo facilius occasione oblata Reinholdi conjecturam refellam, qui in spuria parte libri, qui est de victu acutorum, initio §. 14 (I, 398) pro verbis: Τούτου δ'εἵνεκα τότε οὐ προςάρτεον scripsit: Τούτου οὖν εἵνεκα κτλ. Sed scriptura vulgaris, quam codex vetustissimus Parisinus tuetur recte se habet. — Denique huc pertinent verba ex Epid. VI, sect. 7, 1 (II, 1193), quae haec sunt: Οἱ δὲ τῇ χειρὶ πονήσαντες ἐς χεῖρας μοῦνον παραπληγικαὶ, οἱ δ'ἱππεύσαντες ἢ πλείω ὁδοιπορήσαντες, ἢ ἄλλο τι τοῖσι σκέλεσι ταλαιπωρήσαντες, τούτοισι δὲ ἐς ὀσφὺν ἢ σκέλεα ἀκρασίαι παραπληγικαί, quo loco τούτοισι δέ respicit ad ea quae praecedunt οἱ δ'ἱππεύσαντες κτλ. sed scriptor non eandem sententiae structuram retinuit. Simili anacoluthia laborant verba, quae sunt de cap. vuln. §. 19 (I, 906): τὰ μὲν ἄλλα τῆς κεφαλῆς ἀσφάλειαν ἔχει ταμνόμενα, ὁ δὲ κρόταφος καὶ ἄνωθεν ἔτι τοῦ κροτάφου κατὰ τὴν φλέβα τὴν διὰ τοῦ κροτάφου φερομένην, τοῦτο δὲ τὸ χωρίον μὴ τάμνειν, cujus generis alterum exemplum in libris ipsius Hippocratis non exstat.

Particulis καὶ - δέ Graecos alteri alteram sententiam adnexuisse, id quod a nostra dicendi consuetudine prorsus abhorret, certis omnium scriptorum exemplis demonstratur. Hae vero duae particulae non inter se conjunctae sunt, sed priore eis quae antecedunt aliquid novum additur, alterâ discrimen quoddam, quod inter priora et ea quae sequuntur, intercedit, leniter indicatur. Atque inter scriptores Graecos sunt, qui his particulis saepissime utantur, ut Theophrastus in characteribus sexagies eas possuit (cf. R. Eucken, de Aristotelis dicendi ratione p. 32). Apud Hippocratem inveniuntur quidem in plurimis eorum librorum, quos perlegi, sed in his omnibus non saepe, ita ut ex hac re non eliciamus, quo patris medicinae libros a reliquorum scriptis

differre demonstremus. Inveniuntur enim in libro, qui est de cap. vulnerib. bis, de victu acut. bis, in libris Epid. et primo et tertio semel, in libro Praedictorum I sexies, in Coacis vero ter decies, in Prognostico semel, in libro, qui est de humoribus semel, in libris, qui sunt de morbo sacro, de affectionibus, de internis affectionibus, bis in quoque, in libro, qui est de locis in homine ter, in libris, qui sunt de morbis I et III semel in utroque, in libro, qui est de fractis quater. Non reperi in libro, qui est de aëre aquis locis, in Aphorismis, in libris qui sunt de morbis II, de victu salubri, de medico, de officina medici, e libro vero qui est de flatibus certa exempla proferre nequeo. Ne in libris Epid. II, IV, VI quidem *καὶ-δὲ* exstare videtur, nam unicus locus, ubi eas particulas animadverti [cf. IV, sect. 1, 16, (II, 1125)] magnopere corruptus est. Accedit quod in uno codice *δέ* etiam omittitur.

Particulae *δέ γε,* quae ab Atticis non raro usurpantur (cf. Ast, lex. Plat. I, 424, Eucken, l. l. p. 33), in libris qui sunt de aëre aqu. locis et de cap. vulneribus nusquam exstant et praeterea perpaucis tantum locis inveniuntur, qui sunt: Epid. I, sect. 3, 24 (II, 963), de vict. acut. §§. 32 (I, 389) et 34 (I, 389). Ne in suppositis quidem scriptis frequentius usurpantur. Exstant quidem lex, de arte, de vet. med. §. 39 (I, 18), sed praeter hunc nullum locum indicare possum, ubi legantur. Nam utrum de morb. III, 16 (I, 493) cum codice *ϑ εἰ δὲ μὴ* an, ut vulgo legitur, *εἰ δὲ μή γε* scribendum sit, de ea re dijudicare difficillimum est.

Particulae vero, quae sunt *δέ τοι* nusquam exstant, nisi duobus locis libri II qui est de morbis cf. §§. 14 (I, 466) et 27 (I, 470), quem librum jam supra usu particularum *καὶ-δέ* a ratione primi et tertii deflectere vidimus. Sed utroque loco Ermerinsius partim conjecturâ partim unum codicem *ϑ* sectus scripturam vulgatam sustulit. Causam tamen cur ferri nequeat, ego nullam video. Itaque cum majore codicum parte confirmetur neque abhorreat ab eis exemplis, quae protulit Hartungius in doctr. part. II, 369 sqq. eam non mutandam esse existumo.

Particulae *δὲ δή* (cf. Ast. lex. Plat. I, 424) quamquam

in eisdem libris, qui sunt de aëre, aquis, locis et de cap. vulneribus absunt, tamen in universum in libris, quos legi, saepius inveniuntur. Sed discernendum est inter eos libros in quibus non positae sunt, nisi post conjunctiones ἤν, ἐπήν, ὅταν, ὅμως, νῦν, et eos, ubi hoc prorsus nunquam fit, ut in libris qui inscribuntur de officina medici, de flatibus, de humoribus. Legimus enim de offic. med. §. 10 (I, 744) τὰ δὲ δὴ μέλλοντα, de humorr. §. 20 (I, 51) ἐπὶ τοῖσι δὲ δή, de flatibus §. 1 (I, 296) τῶν δὲ δὴ τοιούτων, et infra ἓν δὲ δή, tum τῶν δὲ δὴ νούσων initio proximae paragraphi (I, 296), praeter quae exempla nulla exstant, nisi fallor, in his libris. Ad priorem autem classem pertinet liber qui est de victu acut. cf. §§. 45 (I, 391) et 62 (I, 394), atque liber Epidem. VI, cf. sect. 3, 1 (II, 1174).

Et hac et illa ratione promiscue utuntur scriptores librorum qui inscribuntur de fractis et articulis [cf. §§. 15 (I, 762), 42 (I, 777), 59 (I, 787), 62 (I, 791)] et lex, de arte, de vet. medicina, cf. §§. 11 (I, 4), 23 (I, 10), 33 (I, 14).

Jam ad usum particulae ἀλλά describendum transiens, de eis locis, ubi μέν et ἀλλά inter se opposita sunt, supra disputatum esse moneo [1]). Atque cum ceterum nihil observaverim, quo hi medicorum libri aut inter se aut ab aliorum scriptis magnopere differant, statim enarrabo, cum quibus particulis ἀλλά conjunctum inveniatur. Incipiamus a particulis ἀλλὰ γάρ, quarum altera suam vim sibi servat. Atque ad harum usum in universum idem valet, quod de multis aliis duas particulas conjungendi rationibus animadvertimus. Inveniuntur enim in his libris, si scripta Atticorum comparantur, rarissime. At differt eo harum particularum usur-

---

1) Mentione digna sunt haec verba §. sexti libri, qui est de internn. affect. (I, 534): Πινέτω δὲ τοῦτο γυμνασάμενος, ἢν οἷός τε ᾖ, καὶ λουσάμενος, πολλῷ καὶ θερμῷ. ἢν δὲ μή, ἀλλὰ λουσάμενος, de hoc. ἀλλά in apodosi sententiae conditionalis v. Klotz ad Devar. p. 93, Hartung, de part. l. gr. II, 40. Plat. Theaed. 155, A, ubi legis: Ἆρ' οὖν οὐ καὶ τρίτον, ὃ μὴ πρότερον ἦν, ἀλλὰ ὕστερον τοῦτο εἶναι ἄνευ τοῦ γενέσθαι καὶ γίγνεσθαι, ἀδύνατον; cujus sententiae sensum hunc esse praeclare Heindorfius adnotavit: quod antea non erat, postea tamen id esse ἄνευ τοῦ γεν. etc., ἀδύνατον.

patio, quod cum antea libros qui sunt de aëre aquis locis et de capitis vulneribus maxime conspirare viderimus, *ἀλλὰ γάρ* in illo compluries [(cf. §§. 9, (I, 284) et 30 (I, 293)] usurpatur, in hoc prorsus deest. E reliquis libris omnibus pauca tantum exempla notare possum, quae exstant de fract. §. 9 (I, 758) et Epid. VI, sect. 8, 18 (II, 1200). Particulae vero *ἀλλ' οὖν* etiam rarius exstant, ita ut unum tantum exemplum afferre possim e libri, qui est de fractis et articulis §. 62 (I, 790): *εἰ δὲ μὴ τελέως ἱδρυνθείη, ἀλλ' οὖν τὸ ὑπερέχον γε τοῦ ὀστέου οὐ κάρτα ὀξὺ γίγνεται.*

Particulae *ἀλλ' ἤ*, quae vera particularum conjunctio est (cf. Bäumlein, part. graec. p. 1—7), paullo saepius usurpantur. In libris tamen, qui sunt de aëre aquis locis et de victu acutorum non exstant, in librum vero de capitis vulneribus inscriptum semel ab Ermerinsio sine ulla causa illata sunt. Verba enim, quae in §. 31 (I, 913) exstant, vulgo ita leguntur: *ἀλλὰ φυλάσσεσθαι χρή, ὡς μὴ λάθῃς προςβαλὼν τὸν πρίονα ἀλλ' ὅπῃ δοκέῃ παχύτανον εἶναι τὸ ὀστέον, ἐς τοῦτο αἰεὶ ἐνστηρίζειν τὸν πρίονα.* Quaero, quid tandem in his verbis sit, quo offendamur. Ermerinsius autem nescio qua re commotus neque ipse exposuit, scripsit: *ἀλλ' ἢ ὅπῃ* et quo aptior haec conjectura huic loco esse videretur, paullo infra post vocem *τοῦτο* de suo interposuit particulam *δέ*. Deletis igitur his alienis additamentis, in libris modo a me nominatis, qui ab omnibus fere hominibus doctis, qui adhuc de origine horum scriptorum inquisiverunt, non sine causa uni eodemque auctori adscribebantur, particulas *ἀλλ' ἤ* nusquam inveniri statuamus. His praemissis, locos ubi *ἀλλ' ἤ* invenitur, enumeremus. Legis de flatib. §. 12 (I, 299). *Τί οὖν ἐστι τὸ πληρῶσαν ἀλλ' ἢ πνεῦμα;* de morbo sacro §. 13 (I, 307): *ὁκόταν δὲ εἴκοσι ἔτεα παρέλθῃ, οὐκ ἔτι ἡ νοῦσος αὕτη ἐπιλαμβάνει, ἣν μὴ ἐκ παιδίου ξύντροφος ἔῃ, ἀλλ' ἢ ὀλίγους ἢ οὐδένα.* Praeterea exstat lex, de arte, de vet. med. §§. 25 (I, 10) et 27 (I, 11), in partis spuriae libri qui est de vict. acutor. §. 12 (I, 398), de fractis §. 28 (I, 770 [1]).

1) Locos, ubi particulas *ἀλλ' ἤ* alterum *ἤ* infra sequitur, ut Epid. II, sect. 6, 31 (II, 1056), de locis in hom. §. 13 (I, 413) huc non pertinere per se est perspicuum.

Vis excipiendi, quam in particulis ἀλλ' ἤ inesse haec exempla demonstrant, ubi oppositio inter priora verba et ea, quae ab his particulis ducuntur intercedit, ita mutatur, ut pro ἀλλ' ἤ poni possit ἀλλά, sed cavendum est ne hoc temere scribatur. cf. lex, de arte, de vet. med. §. 11, s. f. (I, 4) πᾶν τὸ γιγνόμενον διά τι εὑρίσκοιτ' ἂν γιγνόμενον καὶ ἐν τῷ διά τι τὸ αὐτόματον οὐ φαίνεται οὐσίην ἔχον οὐδεμίαν ἀλλ' ἢ οὔνομα μοῦνον, de nat. hom. §. 2 (I, 225): ἀξιῶ δὲ ἔγωγε τὸν φάσκοντα αἷμα εἶναι μοῦνον τὸν ἄνθρωπον καὶ ἄλλο μηδὲν, δεικνύναι αὐτὸ μὴ μεταλάσσειν τὴν ἰδέην μηδὲ γίγνεσθαι παντοῖον ἀλλ' ἢ ὥρην τινὰ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἢ τῆς ἡλικίης τῆς τοῦ ἀνθρώπου, ἐν ᾗ αἷμα ἐνεὸν φαίνεται μοῦνον ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. Exemplum, ubi particulis ἀλλ ἤ adverbium ἄλλως antecedit (cf. Bäumlein l. l. p. 5), praebet libri, qui est de flatibus, §. 3 (I, 296), ubi legitur: μετέχοιεν δὲ (τὰ πλωτὰ ζῶα) πῶς ἂν ἄλλως ἀλλ' ἢ διὰ τοῦ ὕδατος; Ermerinsius ita scribi posse negans aut ἄλλως aut ἀλλ' omitti jubet (cf. adnot. et epimetri continuationem [1]) ad l. l.). Sed recte Reinholdus codicum scripturam revocat, quam ne ab Atticorum dicendi ratione alienam esse quis opinetur adscribo verba ex Isocr. Paneg. §. 7: εἰ μὲν μηδαμῶς ἄλλως οἷόν τ' ἦν δηλοῦν τὰς αὐτὰς πράξεις, ἀλλ ἢ διὰ μιᾶς ἰδέας, quem locum etiam Bäumleinius attulit, cf. Plat. Phaed. 83, A: πιστεύειν . . . μηδενὶ ἄλλῳ ἀλλ' ἢ αὐτὴν αὐτῇ [2]).

Usu particulae quae est μέντοι mirum quantum singuli libri inter se differunt. Nam cum in libro, qui est de victu acutor. fere vicies, in libro qui est de fractis circiter decies posita sit, verbi causa in libro, qui est de capitis vulneribus, ne semel quidem reperitur. In reliquis libris aut raro invenitur aut prorsus deest. Ita in libro, qui est de aëre aquis locis semel, in libro Praedictorum I. semel, in Prognostico bis, in Coacis bis, in Epid. III bis, in IV. semel in libris, qui sunt de affectionibus et de morbis III semel in utroque, denique in libro qui est de internn. affectionibus ter legitur.

---

1) J. Z. Ermerins, continuatio epimetri ad editionem Hippocratis. Trajecti 1867.

2) De particulis ἀλλὰ μήν v. infra.

Atque ut vulgo, ita etiam apud Hippocratem particula *μέντοι* graviorem appositionem indicat magnamque partem ea quae de particula *δέ* disputata sunt, etiam in hanc voculam valent, ita tamen ut *μέντοι* majorem vim et in se ipso habeat et notioni, quam infert, tribuat. Ita respondere potest particulae *μέν* (cf. supra) et ut *τὸ πρῶτον — ἔπειτα δέ* dicitur, ita etiam *τὸ πρῶτον — ἔπειτα μέντοι* usurpari potest. ut de internn. affect. §. 27 (cod. *ϑ*). Atque cum de eis locis, ubi *γὲ* ad particulam *μέντοι* accedit, infra p. 90 accuratius expositum sit, statim ad particulam *καίτοι* transire liceat, quae quidem omnino rarius apud Hippocratem invenitur, quam *μέντοι*, sed si ejus frequentiam per singula scripta observaveris simile discrimen inter haec interesse videbis, atque in particula *μέντοι* tractanda animadvertimus. Nam in libris qui sunt de victu acutorum et de fractis compluries positum est. In Prognostico, in Coacis, in Epid. VI, in libro II, qui est de morbis [1]) singula exempla inveniuntur. Inter has duas classes intercedunt hi libri: de aër. aqu. loc., de morbo sacro, Epid. II et III, lex, de arte, de vet. medicina. In horum plerisque *καίτοι* bis legitur. Atque hanc particulam una voce semper scribendam esse ostendit Ellendtius, lex. Sophocl. I, 886. Moneo hoc quod Ermerinsius aliquoties scripsit *καί τοι* cf. de vict. acut. §§. 3 (I, 383) et 8 (I, 384) Coaca 495 (I, 196) Epid. II, sect. IV, 5 (II, 1037) de aër. aqu. loc. §. 26 (I, 292). Postremo loco Ermerinsius ita scribit: *τὰ ϑήρια οὐ γίγνεται μεγάλα, ἀλλ' οἷά τέ ἐστι ὑπὸ γῆν σκεψάζεσϑαι. ὁ γὰρ χειμὼν κωλύει καὶ τῆς γῆς ἡ ψιλότης καί τοι οὐκ ἔστι ἀλεὴ οὐδὲ σκέπη.*, ad quae verba haec adnotat: »*καίτοι* h. l. vulgata in libris lectio est — cod. Par. unus *ὅτι*, unde Coraës *καὶ ὅτι*, quod etiam Littréus recepit, equidem quin *καί τοι* vera scriptura sit nullus dubito. Significat autem *καί τοι* h. l. et sane, non, quamquam.« Sine dubio h. l. *καί τοι* fere idem est quod Latinorum voculae et sane, (quam significationem harum particularum propriam esse recte dicit Klotz ad Devar. II, 653), haec tamen non causa est, cur ejusmodi discrimen fiat in scribendi ratione. Nam etiam ubi

1) Verba, quae dico, Ermerinsius adnotatori tribuens in calce adscripsit.

καί τοι latinae voci, quae est quamquam, respondet, illa prima significatio minime evanuit, sed etiam tum subjecta est. Καί τοι igitur constanter scribi oportet, etiam hoc loco, nisi Corais conjectura praeferenda est. Particulas καίτοι-γε verbo interjecto, invenis de victu acut. §. 8 (I, 384), Epid. III, sect. 3, 14 (II, 1091), de morb. sacro §. 3 (I, 302) de fractis 16 (I, 703), καιτοί γε, nulla voce interjecta, exstat de vict. acut. §. 29 (I, 388). Deinde nonnullis locis particulae καίτοι adnectitur καί, vi intentionis praeditum, ut de fractis §. 27 (I, 769): καίτοι καὶ ἢν ἐκπέσῃ τὸ ἐκπνησόμενον, . . θᾶσσον ὠτειλοῦται.

Denique agemus de particula quae est ἀτάρ, in cujus usu observando iterum illud animadverti, non exstare eam in libris qui de aëre aqu. locis et de capitis vulneribus inscribuntur. Itaque mirum est, quod eadem particula in libro, qui est de victu acutor., qui cum illis e communi origine profectus esse dicitur, non minus quam septies invenitur. Ceterum usu frequens est in Coacis. cf. 30 (I, 121), 74 (I, 128), 83 (I, 129), 170 (I, 145), 200 (I, 150), 209 (I, 151), 376 (I, 176), 422 (I, 185), 486 (I, 195), 546 (I, 206), in libro, qui est de fractis. cf. §§. 3 (I, 752), 8 (I, 758), 23 (I, 700), 27 (I, 769), 49 (I, 780), 56 (I, 785), 62 (I, 791). Pauciora exempla exstant in Aphorismis. cf. sect. I, 12 (II, 1243), sect. 4, 33 (II, 1250), sect. 5, 69 (II, 1256), in libro qui est de humoribus, cf. §§. 6 (I, 48), 7 (I, 49) 10 (I, 49), 14 (I, 50), de morbis I, 11 (I, 450) de morb. III, §§. 10 (I, 490), 15 (I, 492) [1]), 16 (I, 493), Praedictorum bis I, 152 (I, 80), de officina med. §. 22 (I, 748). Denique separatim dico de libris Epidemiorum, quod numero hujus particulae inter se discrepant. Nam non modo libri II et VI numero hujus particulae reliquos multo superant, sed etiam intra librum primum et librum tertium descriptiones tempestatum et pestilentiae et quae sunt similes disjungendae sunt a descriptionibus aegrotorum. Hae enim particula ἀτάρ omnino carent. — Jam, cum supra exempla perlustraverimus, in quibus ἀτάρ particulae μέν respondet, quid praeterea

1) Verba e contextu sejuncta Ermerinsius in calce adposuit.

considerandum sit videamus. Atque statim dicendum est, omnibus locis modo a me enumeratis, perpaucis exceptis, particulam ἀτάρ conjunctam inveniri cum particula καί quae loco adverbii posita gradationem significat, aut in sententia negativa cum particula οὐδέ. Significant autem hae particulae in initio novae periodi positae orationem ad novam rem transire, quae tamen quodam respectu ad proxima pertinet; membrum autem periodi inducunt, ubi aut quaedam res occasione oblata insuper additur aut in gradatione magnum quid et fere inexspectatum accedit, cf. de vict. acut. §. 26 (I, 388) περὶ μὲν οὖν ῥοφήματος προςάρσιος οὕτω γιγνώσκω. ἀτὰρ καὶ περὶ πότου κτλ. Epid. I, 22 (II, 958) ἔκρινε δὲ παιδίοισι οὕτω τοῖσι πλείστοισι, ἀτὰρ καὶ πρεσβυτέροισι, Epid. II, sect. 3, 4 (II, 1023) ὀδύνη μάλιστα κατ' ὠμοπλάτην, ἀτὰρ καὶ ἔμπροσθεν. Coaca 486 (I, 195), αἱ μετὰ σιγῆς ἀθυμίαι . . ποιοῦσι παραπληκτικὰ χρόνια, ἀτὰρ καὶ ἐκμαίνονται οὗτοι. Sine particula καί (οὐδέ) duobus tantum locis ἀτάρ legitur, Coac. 74 (I, 128), ubi particulae μέν respondet, de humorr. §. 14 (I, 50) initio periodi; ἀτὰρ ἀνυδρίαι νοτίαι, βόρειαι, qui tamen locus sensu cassus esse videtur, ut Ermerinsuis animadvertit. At particulas καί et οὐδέ a particula ἀτάρ etiam disjungi posse verbo interposito, patet ex his duobus exemplis: Aphorism. sect. 4, 33 (II, 1250) ἀτὰρ ἤν καὶ προπεπονηκός τι ᾖ, ἐνταῦθα στηρίζει ἡ νοῦσος. de fract. §. 62 (I, 791). ἀτὰρ δὴ οὐδ' οὗτος ὁ τρόπος κλῆϊδος κατήξιός ἐστι, praeter quae verba non memini ubi aliae particulae ad particulam ἀτάρ accedant atque καί et οὐδέ. Nam etiam locutiones ἀτάρ γε, ἀτὰρ οὖν, ἀτάρ τοι, de quibus Hartungius, part. l. gr. I, 383, II, 12, II, 368 dicit, ab usu medicorum, quibus hi libri debentur, prorsus sunt aliena.

Caput II.

De particulis copulativis.

Sermo horum librorum, qui Hippocratis esse dicuntur, proprius, cum, ut jam antea monui, antiqua simplicitate quadam insignis sit, omnes artificiosas et difficiles verborum circuitus respuente, particulis copulativis quae sunt *καί* et *τὲ*, quibus simplicissime et facillime scriptor narrationem continuat, adeo abundat, ut apud alium scriptorem Graecum tantam multitudinem tantamque usus varietatem, quanta in his libris est, vix possis observare.

Particula *καί* quae propria ac vera Graecorum particula copulativa est, non modo nomini nomen et verbo verbum adnectit, ut Devarii verbis utar, sed saepe etiam sententias conjungit, ita ut non raro sententiae alteri altera par ponatur, quam scriptores Attici subjici malunt, aut enunciata relativa aut participia maxime usurpantes, cf. de aër. aqu. loc. §. 26 (I, 291): *ἀπήλλακται τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων τὸ Σκυθικὸν γένος καὶ ἔοικε αὐτὸ ἑωυτῷ ὥσπερ τὸ Αἰγύπτιον.* §. 27 (I, 292) *τὸ πολὺ τοῦ χρόνου κάθηνται ἐν τῇ ἁμάξῃ, καὶ βραχὺ τῇ βαδίσι χρέονται*, de cap. vuln. §. 2 (I, 896): *ἔχει τὸ ὀστέον ἐν ἑωυτῷ ὑκοῖα σαρκία πολλὰ καὶ ὑγρὰ καὶ εἴ τις αὐτὰ διατρίβοι, αἷμα ἂν διαγίγνοιτο ἐξ αὐτῶν.* Neque ea de causa quod Littréus conjecit de aër. aqu. loc. §. 26 (I, 291) *ἠήρ τε κατέχει πουλὺς τῆς ἡμέρης τὰ πεδία καὶ ἐν αὐτοῖσι διαιτεῦνται (οἱ Σκύθαι)* aut quod maluit novissimus editor Reinholdus *καὶ ἐν τούτοισι* a sermone Hippocratis esset alienum.

Rarius invenitur illa ratio paratactica, qua temporis notione praemissa *καί* ponitur, ubi *ὅτε* exspectavimus. Hujus usus, quem exemplis Atticorum illustravit Hoogeveenius ad Viger. p. 523, a, Heindorfius ad Plat. Paedr. 254, B. apud Hippocratem haec testimonia sunt: de aër. aqu. loc. §. 28

(I, 293) οὐ γὰρ φθάνουσι παρὰ ἄνδρα ἀφικνεύμεναι καὶ ἐν γαστρὶ ἴσχουσι, de flatib. §. 12 (I, 299): οὐ τρεῖς ἡμέραι ἂν διέλθωσι καὶ πάλιν πλήρης γίγνεται.

In initio novarum sententiarum saepissime posita est particula καί, quare hoc loco in universum dicere mihi in animo est, animadverti in libris hippocrateis apertum studium, indicandi rationes, quae inter singula enunciata intercedant, quam ob rem ubi nova sententia incipit, ibi particula non deest, qua totius sententiae vis significetur. Negligitur autem hoc rarissime. Sed hoc maxime valet in eos libros, qui imprimis Coo seni ipsi attribuuntur, ut in libros qui sunt de aëre aquis locis, de capitis vulneribus, de victus ratione in morbis acutis, minus pertinet ad libros Epidemiorum, ad Coacas, Aphorismos, Prorrheticum I, ubi plerumque illud praecisum scribendi genus praevalet, in quo brevissima enunciata demptis conjunctionibus, alterum pone alterum, ponuntur. Illud autem accuratius elaboratum dicendi genus in libro, qui est de aëre aquis, locis adeo praeclare apparet ut etiam certis finibus, qualis usus sit, possit circumscribi. Nam praeter voculas, quae sunt δέ, μέν, οὖν, δή, ἀλλά, τοίνυν, γάρ particulae καί et τὲ plerumque in initio sententiarum copulandi causa collocantur. Tria genera sunt exceptionis. Primum enunciato aut pronomine demonstrativo antecedente, quod legentis animum ad ea quae sequuntur praeparans haec sua vi satis adjungit, particula γάρ quam forte quisquam exspectaverit, omittitur, quae res ex aliorum scriptorum usu satis nota est, cf. §§. 10 (I, 285), 22 (I, 290), 29 (I, 293). Tum ubi demonstrativum, quod ad priora spectat, in initio sententiae positum graviter pronunciatur, saepe particulam invenimus nullam, ut post verba οὕτω, ἐνταῦθα, διὰ ταύτας τὰς ἀνάγκας, διὰ ταύτας τὰς προφάσιας et quae sunt similes locutiones, cf. §§. 17 (I, 288), 11 (I, 285), 23 (I, 290), 25 (I, 291), 26 (I, 292), 29 (I, 293), 31 (I, 294), denique in figura quae est πρῶτον (μέν) . . ἔπειτα fere idem observavimus (cf. s. p. 19). Quae quum ita sint, verba §. 24 (I, 291) quae in editione Ermerinsiana haec sunt: Ἐν δὲ τῇ Εὐρώπῃ ἐστὶ ἔθνος Σκυθικὸν ὃ περὶ τὴν λίμνην οἰκεῖ τὴν Μαιῶτιν, διαφέρον τῶν ἐθνέων τῶν ἄλλων. Σαυρομάται καλεῦν-

ται, prorsus a scriptoris ratione abhorrent. Sine dubio in verbis Σαυρομάται καλεῦνται excidit particula, quam omitti non posse insuper docent simillima verba, quae paullo infra leguntur: Ἐνταῦθα καὶ οἱ Σκύθαι διαιτεῦνται. Νομάδες δὲ καλεῦνται. Praestat tamen, id quod Coraës in priore editione proposuit, particulam τέ post verbum Σαυρομάται inserere, quippe quae lateat in postrema hujus nominis syllaba.

Ita particula καί in initio novi enunciati posita, quo aut magni quid additur aut quid diligentius definitur, saepe majore vi effertur, ut idem fere quod Latinorum et .. quidem valeat, ut de cap. vuln. §. 14 (I, 903) τὴν σάρκα ταῦτα (τὰ βέλεα) φλᾷ τε καὶ πέπειρον ποιέει καὶ κόπτει. καὶ τὰ ἕλκεα γίγνεται ὑπὸ τῶν τοιούτων βελέων ἐς τὸ πλάγιον κτλ.

Non minus usitatae sunt particulae copulativae in enumerationibus rerum. Quin etiam in plurimis libris enumeratio non fit, in qua singula membra illis particulis non conjungantur. Sed ut dilucidius appareat, quanta varietas sit in usu hujus figurae, singula schemata hic describam:

καὶ . . καὶ . . .
τὲ . . τὲ .
τὲ . . καὶ . . καὶ . . . (de aër. aqu. loc. §. 7 [I, 283])
τὲ καὶ . . καὶ . . (ibid.)
καὶ . . καὶ . . τὲ καὶ . . καὶ (de vict. acut. spur. 4 (I, 396).
τὲ . . τὲ . . καὶ de vict. acut. §. 14 (I, 385)
καὶ . . τὲ . . καὶ Prognost. 30 (I, 42)
καὶ . . καὶ . . καὶ . . καὶ . . καὶ Coaca 139 (I, 137)
καὶ . . καὶ . . καὶ . . καὶ . . καὶ Coaca 150 (I, 140)
τὲ . . καὶ . . καὶ . . καὶ . . καὶ . . τέ Coaca 402 (I, 183)
τὲ . . καὶ . . καὶ . . καὶ . . καὶ . . τὲ . . καὶ . . καὶ . . καὶ . . καὶ
Coaca 481 (I, 194)
καὶ . . τὲ . . καὶ . . τὲ καὶ Prognost. §. 32 (I, 42)
καὶ . . τὲ . . καὶ . . τὲ . . καὶ . . καὶ . . τὲ . . καὶ (in protasi),
τὲ . . καὶ . . καὶ . . καὶ . . καὶ . . τὲ καὶ (apod.)
de cap. vuln. §. 3 (I, 896).

καί . . τὲ καὶ . . καὶ . . τὲ καὶ . . καὶ . . καὶ . . καὶ . . τὲ καὶ . . τὲ καὶ de cap. vuln. §. 7 (I, 899)

καὶ . . καὶ . . δὲ de cap. vuln. §. 28 (I, 911)

καὶ . . καὶ . . δὲ . . καὶ . . καὶ ibid. §. 29 (I, 912)

τὲ . . τὲ . . τὲ . . καὶ . . δὲ Prognost. §. 26 (I, 41)

Hae fere notabiles sunt variationes in particulis ponendis, quibus singula membra in enumerationibus et singulae sententiarum partes adnectuntur. Quanta earum copia sit atque varietas ipse etiam melius videbis, quando hos libros evolveris. Sed accedit concinnitas quaedam mirabilis qua singulae partes et membra inter se respondent. Testimonio sit Coac. 481 (I, 194), cui quale schema subjiciatur, supra descripsi. Verba haec sunt: *διατάσιές τε περὶ ὑποχόνδρια καὶ πόνοι καὶ ἐπάρματα περὶ κοιλίην, καὶ πόνοι περὶ κενεῶνας καὶ περὶ τοὺς ῥαχιαίους μύας πρυςπίπτουσι, πυρετοί τε καὶ δίψαι καὶ βῆχες ξηραὶ, παρακολουθοῦσι καὶ δύσπνοια περὶ τὰς κινήσιας καὶ σκελέων βαρύτης.* Videmus, particulis *τὲ . . τέ* duo enunciata adnecti, quorum in posteriore totidem singulae res enumerantur, quot in priore sunt. Haec particularum copulativarum abundantia omnium fere horum librorum propria est, illis exceptis libris aut librorum partibus, quae speciem observationum illico descriptarum prae se ferunt neque amplius explicatae elaborataeque sunt.

Mirum est, quam frequenter in codicibus particulae *καί* et *ἤ* inter se confundantur. Qua de re meditanti mihi in mentem venit, tantam librorum discrepantiam inconstantiamque non facile ortam esse, nisi in his medicorum libris particulae *καί* cum copia permagna tum significatio fusa esset atque lata. Latior enim sine dubio hujus particulae vis est, ubi duas res diversas copulat, quae, si scriptor quam acutissime rem denotare vellet, disjungendae essent per particulam *ἤ*. Sed tantum abest, ut particulam *καί* prorsus idem quod *ἤ* valere dicam, ut etiam in ejusmodi rationibus illius propriam vim plane perspicuam esse demonstrare coner. Dicit enim, ut exemplum afferam, auctor libri Epidemiorum primi in §. 14 (II, 951): *ὅσοι μὲν οὖν ἔαρος καὶ θέρεος ἀρξαμένου αὐτίκα νοσέειν ἤρ-*

ξαντο, οἱ πλεῖστοι διεσώζοντο. In his verbis primum particulae καί vis copulativa non satis apparet, quia veris et aestatis non eadem primordia sunt neque morbus aliquem vere et aestate simul corripere potest, sed aut hoc aut illo tempore. Itaque exspectamus ἔαρος ἢ θέρεος. Tamen καί recte positum est, cum ἔαρ et θέρος, quamvis dissimilia sint, una opponantur proximis verbis ἤδη δὲ τοῦ φθινοπώρου καὶ τῶν ὑσμάτων γενομένων, θανατώδεες ἦσαν καὶ πλείους ἀπώλλυντο, ideoque oppositionis causa paene in unam notionem comprehendantur, ipsa natura sejuncta, ita ut notio particulae ἤ lateat in particula latioris significationis quae est καί. Qua explicatione simul demonstrasse mihi videor, scriptorem particulâ καί magis externam rationem indicare; internam vero et angustiorem is qui legit facile ipse invenit. Quae quum ita sint, multis locis, ubi utrum ἤ an καί praeferendum sit, ambiguum videtur hoc, quod librarii, se verba emendaturos opinati, cum particula ἤ mutabant, antiquius habeo, quamquam schol. Dietzii ad Aphorism. sect. 5, 56 (II, 1255) haec affert: ἀμέλει τὰ παλαιὰ τῶν ἀντιγράφων τὸν ἢ διαζευκτικὸν ἔχουσι. Quin etiam hoc ipso loco Aphorismorum, qui hic est: ἐπὶ ῥόῳ γυναικείῳ σπασμὸς καὶ (Erm. ἢ) λιποθυμίη ἢν ἐπιγένηται κακόν, solum καί rectum esse judico, praesertim cum illud ἤ uno tantum codice praebeatur. Accedit quod καί eo magis huic loco accomodatum est, quod ratio aphorismi universa est neque de singula muliere auctor disserit. Sed alia exempla, ubi καί illam latam significationem habet inveniuntur: Lex, de arte, de vet. med. §. 38 (I, 17): εἰδέναι τί λουτρὸν ἀκαίρως προςγενόμενον ἐργάσεται καὶ τί κόπος; de morbis I, 29 (I, 460) ὅσον δ' ἂν ἐν τῇ κοιλίῃ καὶ ἐν τῇ κύστι ἐγγένηται, de morbis II, 63 (I, 483): πυρετὸς ἴσχει καὶ δίψα ἰσχυρὰ καὶ ἡ γλῶσσα τρηχεῖα καὶ μέλαινα καὶ χλωρὴ καὶ ξηρὴ καὶ (sic vulg., Erm. e tribus codd. ἢ) ἐξέρυθρος ἰσχυρῶς κτλ., ubi quo jure μέλαινα et χλωρὴ per καὶ conjunguntur, eodem haec particula ante vocem ἐξέρυθρος ponitur. Haec mirabilis particulae καί significatio optime cognoscitur ex Epid. VI, sect. 2, 14 (II, 1170), ubi legis: Αἱ διαδέξιες τῶν ὑποχονδρίων ἐξ οἵων ἐς οἷα. καὶ ἄλλαι καὶ τῶν σπλάγχνων τῶν φλεγμονῶν οἷα δύναται εἴτ' ἐξ ἥπατος σπλὴν καὶ τὰ-

ναντία καὶ ὅσα τοιαῦτα, ubi καί particulae, quae disjungit, εἴτε sine dubio respondet. Atque ut his locis, ita reliquis fere omnibus, ubi codices non conspirant, sed hi καὶ, illi ἤ praebent, ut Epid. VI, sect. 2, 16 (II, 1169): καὶ (ἤ) ἀνεῶχθαι, Aphorism. sect. 6, 23 (II, 1257), ibid. §. 27 (II, 1257), ibid. §. 46 (II, 1258), ibid. sect. 7, 9 (II, 1258) particulam καί servandam esse existimo, quae, significatione latior, etiam res inter se dissimiles conjungit, si latiori notioni, quae eis communis est, subjiciuntur, ut quoque in illo Homeri: τούςδε δ' ἔα φθινύθειν, ἕνα καὶ δύο (Il. B, 346), ubi nos dicimus: einen oder zwei. Si vero contrarium quis contenderet, particulam ἤ antiquiorem esse, non facile esset ad intellegendum, quomodo pro ἤ particula satis perspicua obscurior καί in verba irrepserit.

Id quod supra dicebam, καί saepe idem significare atque Germanorum und zwar, maxime confirmatur eis locis, ubi sententiae, quae perfecta et ad finem perducta esse videtur, plerumque perspicuitatis causa quid adjicitur. Maxime ante pronomina demonstrativa καί ita usurpatur, ut Epid. I, 1 (I, 930): ὀλίγοισι ἐγένοντο καῦσοι, καὶ τούτοισι πάνυ εὐσταθεῖς, et paullo infra: Ἐγένετο δὲ ταῦτα μειρακίοισι, νέοισι, ἀκμάζουσι, καὶ τούτων τοῖσι περὶ παλαίστρην καὶ γυμνάσια πλείστοισι. Ita usurpatam invenimus particulam: lex, de arte, de vet. med. §. 28 (I, 11) καὶ τοῦτο διὰ τὸ ξυμφέρον, Epid. VI, sect. 7, 1 (II, 1193): καὶ αὗται πρεσβύτεραι, aliis locis permultis: Haec breviter praefatus sum, quo facilius judicium ferre possimus de initio sectionis II libri Epid. VI (II, 1168) ubi legis: Εὐρῦναι, στενυγρῶσαι, τὰ μὲν ναί, τὰ δὲ μή. χυμοὺς τοὺς μὲν ἐξῶσαι, τοὺς δὲ ξηρᾶναι . . καὶ τῇ μὲν, τῇ δὲ μή. Λεπτῦναι, παχῦναι τεῦχος . . τἄλλα καὶ τὰ μὲν, τὰ δὲ μή, Cobetus (cf. Ermerins. vol. II, praef. p. IV) καὶ post verba τἄλλα jubet deleri. Quod cur vir doctissimus fecerit, non intellego, cum res bene explicetur, si hoc καί latine vertimus et quidem, praesertim cum eadem significatio sit in eo, quod antecedit: καὶ τῇ μέν. Mihi potius de illo ναί dubitandum esse videtur, quod neque hoc loco probabilem sensum praebet, neque usquam alibi in libris quos legi a me inventum est. Propono igitur ex analogia proximarum

sententiarum scribere: *Εὐρῦναι, στενυγρῶσαι, καὶ τὰ μὲν, τὰ δὲ μή,* particula *καί* quae sine dubio latet in illo miro *ναί* transposita. Simili hujus particulae transpositione Reinholdus egregie restituit verba, quae sunt de vict. acut. §. 31 partis spuriae: *φυλακὴ δὲ ἔσω καὶ ἀπυρέτου ἕως ἑβδόμης,* quo loco vulgo legimus: *φ. δ. ε. ἕως ἀπυρέτου καὶ ἑβδόμης.*

Usus particularum *καὶ . . καί* inter se respondentium, in libris quos legi non multum variatur. Maxime enim hoc modo inter se junguntur nomina, ut de aër. aqu. l. §. 7 (I, 283) *καὶ θέρεος . . καὶ χειμῶνος,* de cap. vuln. §. 12 (I, 902) *καὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ,* de victu acutor. §. 48 (I, 392) *καὶ ἐφθότητα καὶ καρηβαρίην,* de aëre. aqu. loc. §. 7 (I, 283) *ὕδρωπες καὶ πλεῖστοι γίγνονται καὶ θανατωδέστατοι* Similia adjectivorum exempla exstant de vict. acut. §§. 13 (I, 385) et 56 (I, 393). Libri spurii hoc usu minime diversi sunt, quare pro multis hunc unum locum describro, qui est Epid. II, sect. 2, 24 (II, 1017): *οὗτοι καὶ πέπονα ἀναπτύοντες καὶ βραχυμογέες ἦσαν . οἷσι δὲ ἑτερόρροπα καὶ ξὺν πυρετῷ, οὗτοι πολλῷ μᾶλλον καί δύσπνοοι καὶ διαλεγόμενοι σιαλόχοοι.* Multo rarius verba ita conjunguntur ut de cap. vuln. §. 13 (I, 902): *Τὰ ἐς πλάγιον τοῦ ὀστέου παρασύραντα βέλεα ἧσσον καὶ ῥήγνυσι τὸ ὀστέον καὶ φλᾷ καὶ ἔσω ἐσφλᾷ,* de humorr. §. 11 (I, 49): *τὰ ζῶα ἡ γαστὴρ καὶ τρέφει καὶ θερμαίνει καὶ ψύχει.* Excipiendus tamen est infinitivus, qui non tam raro ita usurpatur cf. de vict. acut. §. 44 (I, 391): *εἰ δοίη καὶ φαγεῖν καὶ πιεῖν,* ibid. §. 65 (I, 395), Prognost. §. 42 (I, 45), Coac. 399 (I, 181). Adverbiorum exempla sunt *καὶ ὁμοῦ καὶ ἐναλλάξ* (Coac. 681 [I, 220]) et *καὶ ἔνθεν καὶ ἔνθεν,* (Epid. II, sect. 3, 6 [II, 1025]). Sententiae particulis *καὶ . . καί* in omnibus his libris saepissime copulantur, cf. de aëre aqu. loc. §. 7 (I, 284) *καὶ ἐν γαστρὶ ἴσχουσι μόλις καὶ τίκτουσι χαλεπῶς.* Coaca 491 (I, 196): *φλεβοτομίη βλάπτει, κἢν ἀπόσιτος ᾖ, κἢν ὑποχόνδριον μετέωρον,* quae verba propterea afferro, quod *κἢν . . κἢν* rarissime invenitur, *ἤν τε . . ἤν τε* autem in his libris pervulgatum est.

Saepissime *καὶ . . καί* ante praepositiones positum est; solet enim praepositio in altero membro repeti, ut de aëre aqu. loc. §. 25 (I, 291), ubi Scytharum currus describuntur:

ταῦτα καὶ στεγνὰ πρὸς ὕδωρ καὶ πρὸς χίονα καὶ πρὸς τὰ πνεύματα, §. 31 (I, 294) καὶ κατὰ τὸ μέγεθος καὶ κατὰ τὰς μορφὰς . . Idem in spuriis libris animadvertimus, cf. Epid. II, sect. 2, 24 (II, 1017) καὶ ἐν κεφαλῇ καὶ ἐν αὐχένι, de nat. hom. §. 2 (I, 225) καὶ περὶ . . καὶ περί . ., ibid. §. 5 (I, 226) καὶ κατὰ νόμον καὶ κατὰ φύσιν; ibid. §. 12 (I, 229) καὶ ἐς . . καὶ ἐς . ., de morbis I, 20 (I, 454) καὶ ἀπὸ φλέγματος καὶ ἀπὸ χωλῆς, de affect. §. 1 (I, 516). Πάσχει δὲ ταῦτα . . καὶ ὑπὸ σιτίων καὶ ποτῶν καὶ ὑπὸ πόνων καὶ τρωμάτων, καὶ ὑπὸ ὀσμῆς καὶ ἀκοῆς καὶ ὑπὸ τοῦ θερμοῦ τε καὶ ψυχροῦ, in qua sententia quattuor membra discernuntur, quorum quoque duo vel plura substantiva continentur. Praepositio in altero membro omittitur [1]) hoc loco: de aër. aqu. loc. §. 32 (I, 295): εἰκὸς εἴδεα μεγάλα εἶναι καὶ πρὸς τὸ ταλαίπωρον καὶ τὸ ἀνδρεῖον. E reliquis scriptis certa exempla, quae cum hoc ab omni parte congruant, proferre non possum. Nam quod Ermerinsius scripsit in Aphorismorum sectione VI, 5 (II, 1256): καὶ ἐν πλευρῇσι καὶ στήθεϊ (eadem verba exstant Epid. VI, sect 7, 11 — II, 1195), deinde in sect. VII, 81 (II, 1261) καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὴν κοιλίην ὑποχωρήμασι καὶ τοῖσι κατὰ τὰς σάρκας, haec suspiciosa atque codicibus parum confirmata sunt. Nam postremo loco quattuor codices Parisini dant καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὰς σάρκας, illo vero, quem primum posui, Ermerinsius unum tantum codicem secutus praepositionem ante vocem στήθεϊ omisit. Denique tertio loco, qui est Epid. VI, sect. 7, 11 praepositio in scholiis legitur. Videtur igitur, ubi duo membra particulis καὶ . . καί copulantur, praepositio in altero rarissime omitti. Attamen sententia plus quam duo membra complectente, in posterioribus hoc saepius fit, cujus rei e libris, qui suppositi videntur esse, haec exempla pono: de morbis II, 11 (I, 464): διαθερμαίνεται (ἡ κεφαλή) καὶ ὑπὸ σιτίων καὶ ὑπὸ ποσίων καὶ ἡλίου καὶ ψύχεος καὶ πόνων καὶ πυρός, de internn. affect. §. 51 (I, 560): καὶ ἀπὸ

---

1) Ut praepositio, ita ὅτι in altero membro non denuo scribitur de aëre aqu. loc. §. 30 (I, 293—294), ubi Hippocrates de Scythis hoc dicit: εὐνουχοειδέστατοί εἰσι ἀνθρώπων διὰ τὰς προφάσιας καὶ ὅτι ἀναξυρίδας ἔχουσι ἀεὶ, καὶ εἰσὶ ἐπὶ τῶν ἵππων τὸ πλεῖστον τοῦ χρόνου.

τῶν σιτίων καὶ τῶν ποτῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν διδομένων, de affect. §. 22 (I, 522): γίγνεται δὲ ὕδρωψ καὶ ἀπὸ τοῦ σπληνὸς καὶ ἀπὸ τοῦ ἥπατος καὶ ἀπὸ λευκοῦ φλέγματος καὶ ἀπὸ δυσεντερίης καὶ λευκεντερίης.

His igitur constitutis accedamus ad paragraphum libri qui est de aëre aquis locis 25 (I, 291), in qua, postquam de Scytharum vivendi ratione verba fecit, Hippocrates hoc dicit: τὰ μὲν εἰς τὴν δίαιταν αὐτέων οὕτως ἔχει καὶ τοὺς νόμους. In haec verba neque quadrant quae modo de illis locis librorum spuriorum disputavimus et ab eo loco quem primum e libro, qui est de aëre aquis locis attuli eo differunt, quod verba καὶ τοὺς νόμους substantivum ipsum, quod primum a praepositione pendet, non subsequuntur, sed nonnulla interjecta sunt. Accedit quod in eis, quae antecedunt, minime de legibus ac institutis Scytharum, sed de sola vivendi ratione eorum agitur. Quae quum ita sint, verba καὶ τοὺς νόμους recentius additamentum esse censendum est. Deleamus igitur haec verba, quae quam leviter adjecta sint, vel ex collocatione ipsa apparet.

Denique huc pertinent verba καὶ ἄλλως καί quibus duo membra efficiuntur, quorum altero quaedam res suo nomine praeter caeteras nominatur ideoque effertur, ut apud ceteras scriptores Graecos saepissime. Inveniuntur his locis: de cap. vuln. §. 31 (I, 913) χρὴ . . σκοπεῖσθαι καὶ ἄλλως καὶ τῇ μήλῃ πέριξ κατὰ τὴν ὁδὸν τοῦ πρίονος, de victu. acut. §. 59 (I, 394): Ἔτι δὲ καὶ ἄλλως γυιοῖ καὶ τὰ ἀκρωτήρια ψύχει. Praeter hos locos eadem dicendi ratio exstat his locis: de victu acut. §§. 28 (I, 388) et 58 (I, 393), Coaca 608 (I, 218), de fractis §. 20 (I, 765). In libri Epid. VI, sect. 1, 2 (II, 1164) legimus: οἱ φοξοὶ ἰσχυροὶ καὶ τἄλλα καὶ ὀστέοισι. In libri, qui est de victu acutorum, §. 15 (I, 385) ubi legimus: Τὰς δὲ πτισάνας χρὴ ἐκ κριθέων τε ὡς βελτίστων εἶναι καὶ ὡς κάλλιστα ἡψῆσθαι καὶ ἄλλως ἢν μὴ τῷ χυλῷ μούνῳ μέλλῃς χρέεσθαι, post adverbium ἄλλως Reinholdus intulit particulam καί, quam rem Ermerinsius in Epimetri continuatione jure improbat. Nam non modo apud Atticos hic et illic καί in hac formula omittitur, quamvis raro apud eos exempla

inveniantur [1]), verum etiam in scriptis medicorum, si Reinholdum sequeremur, satis multis locis particula nobis addenda esset. Invenitur enim illud *καὶ ἄλλως*, altero *καὶ* non addito, his locis: Aphorism. sect. 2, 56 (II, 1246): *καὶ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φυσὶ πολέμιον, τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλὲς, καὶ ἄλλως ἤν τις ἐξ ἑτέρου ἐφ' ἕτερον μεταβαίνῃ,* Epid. IV, 5 (II, 1120): *Μετ' ἰσημερίην φθινωπορινὴν ὑποστροφαὶ καὶ ἄλλως μέχρι τροπέων χειμερινῶν.* Epid. VI, sect. 1, 12 (II, 1165): *λύσειε δ'ἂν καὶ ἑλκυδρίων κάτω ἔκθυσις, ἤν μὴ στρογγύλα καὶ βαθέα ᾖ, τὰ δὲ τοιαῦτα ὀλέθρια καὶ ἄλλως παιδίοισι,* de fractis §. 11 (I, 759): *ὀθονίων πλειόνων ἐπὶ τούτοισι δεῖ, καὶ ἄλλως ὡς βελτίστων καὶ προςηνεστάτων*, ibid. §. 22 (I, 766): *Δοκέοι ἂν οὖν μοι ὁ σωλὴν ὁ περιέχων πρὸς τὴν πόδα ἀπὸ τοῦ ἰσχίου ὀφελέειν ὑποτιθέμενος. καὶ ἄλλως κατ' ἰγνύην ταινίην χαλαρῶς περιβάλλειν ξὺν τῷ σωλῆνι, ὥσπερ τὰ παιδία ἐν τῇσι κοίτῃσι σπαργανοῦνται.* Omnia haec exempla Schaeferi sententiam (cf. appar. crit. etc. ad Demosth. l. l.) significationis discrimen inter formulas *ἄλλως τε καί* (*καὶ ἄλλως καί*) et *ἄλλως τε* (*καὶ ἄλλως*) vix intercedere, confirmare videntur.

Ab his locis plane discernendi esse mihi videntur ei, quibus *καὶ ἄλλως* significat e t p r a e t e r e a, quod dicendi genus libri, qui est de capitis vulneribus maxime proprium est, cf. §. 3 (I, 897) *ἐξ ἴσων τε ἐόντων τῶν τρωμάτων καὶ ἡσσόνων καὶ ὁμοίως τε τρωθεὶς καὶ ἧσσον ἀποθνήσκει ὁ ἄνθρωπος, ὁκόταν κ α ὶ ἄ λ λ ω ς μέλλῃ ἀποθανεῖσθαι ἐκ τοῦ τρώματος, ἐν ἐλάσσονι χρόνῳ ὁ ταύτῃ ἔχων τὸ τρῶμα τῆς κεφαλῆς ἤ που ἄλλοθι.* Idem bis invenitur in paragrapho 4 (I, 897) et saepius in hoc libro; illud neque in hoc exstat neque in libro, qui est de aëre aquis locis.

His igitur expositis ad alteram particulae *καί* significationem illustrandam trasire liceat, quae maxime cognoscitur, ubi *καί* novi quid, cui cum prioribus quid commune est, addit, aut gradationem indicat. Is usus, quo *καί* locum ad-

---

1) cf. K. W. Krüger, griechische Sprachlehre, 1, 69, 5., G. Hermann. ad Viger. 232 p. 780. G. H. Schaefer, apparatus criticus et exegiticus ad Demosthenem, 5. p. 56.

verbii obtinet, in his libris de medicina scriptis copiosissimus est. Quin etiam nonnunquam in eadem sententia *καί* bis positum est, ut de aëre aqu. loc. §. 20 (I, 289): *ἔχει δὲ καὶ κατὰ τὴν γῆν ὁμοίως ἅπερ καὶ κατὰ τοὺς ἀνθρώπους.* Similiter in apodosi *καί* iteratur Aphorism. IV, 74 de humorr. §. 13 (I, 50), Prognost. §. 1 (I, 36), de morbo sacro §. 18 (I, 309), lex, de arte, de vet.. med. §. 15 (I, 6), de morbis II, 3 (II, 462), de internn. affect. §§. 23 (I, 544) et 27 (547), de fractis §. 48 (I, 779). Saepissime haec significatio voculae *καί* in sententiis relativis invenitur ut Epid. III, sect. 3, 8 (II, 1086): *ἀπόσιτοι ἐγένοντο οὗτοι καὶ οἱ ἐκ τούτων καὶ ἐκ τῶν ἄλλων δὲ οἵ καὶ ὀλεθρίως ἔχοιεν,* Epid. II, sect. 1, 6 (II, 999) *ὥσπερ καί* .: de morbis I §§. 12 (I, 450) et 34 (I, 461) *ὅτι καί,* ibid. §. 19 (I, 454) *ἀφ' ὧν περ καί;* de locis in hom. §. 2 (I, 408) *ἐς ὅ καί,* ibid. §. 9 (I, 410) *ᾗ καί,* de internn. affect. §. 3 (I, 533) *τὰ αὐτὰ, ἅ καί,* de affect. §§. 25 et 26 (I, 523) *ἀπὸ τῶν αὐτῶν, ἀφ' ὧν καί* de morbo sacro §. 8 (I, 304) *ὁκοίως ἄν καί.* In plerasque harum sententiarum fere idem valet, quod Klotzius ad Devar. p. 635 his verbis animadvertit: Dicitur *καί* in simplici comparatione, ubi illa res aut persona, propter quam quaepiam res aut persona ista particula effertur, aperte declarata non est.

Nonnunquam etiam *καί* ita positum est, ut quo referendum sit nescias, ut Epid. I, 16 (II, 953) *ᾗσι δὲ ξυνεκύρησε ἐν γαστρὶ ἐχούσῃσι νοσῆσαι, πᾶσαι ἐπέφθειραν, ἃς καὶ ἐγὼ οἶδα,* ibid. §. 20 (II, 957): *καὶ διεσώζοντο πάντες οὓς καὶ ἐγὼ οἶδα;* ibid. aegr. 4 (II, 978) *οἷα κἀγὼ εἶδον.* Epid. III, aegr. XVI, aegr. 13 (II, 1112): *ἐξ οὗ καὶ ἐγὼ οἶδα,* de vict. acut. §. 59 (I, 359): *ταύτην καὶ οἶδα μούνην τὴν δὶ ὀξυμέλιτος γιγνομένην βλάβην, ἥ τις καὶ ἀξίη γραφῆς,* ad quae verba Ermerinsius adnotavit: »posterius *καί,* quod in vetustissimo illo libro omittitur, omnino servandum est. Significat *γὲ δή.*« De qua significatione similiter disputavit Hoogeveenius ad Viger. p. 501, a, dicens: »particularum *γὲ δή* vice solam particulam *καί* non raro fungi«. Atque recte quidem significatio prope accedit ad significationem particularum, quae sunt *γὲ δή*, *δή*, ut elucet ex his duobus locis inter se

comparatis: Epid. I, aegr. 4 (II, 978): τοιαῦτα οὖρει οἷα κἀγὼ εἶδον et Epid. III, sect. 3, 8 (II, 1086): ἀπόσιτοι δὲ πάντες μὲν ἐγένοντο . . , οἷς ἐγὼ δὴ[1]) πώποτε ἐνέτυχον. In Platonis dialogis duo exempla inveni, ubi καί simili ratione mihi videtur usurpatum esse, cf. Phaedr. 227, C. Γέγραφε γὰρ δὴ ὁ Λυσίας πειρώμενον τινὰ τῶν καλῶν, οὐχ ὑπὸ ἐραστοῦ δέ. ἀλλ' αὐτὸ δὴ τοῦτο καὶ κεκόμψευται. Theaed. 166, D: αὐτὸν τοῦτον καὶ λέγω σοφὸν, ὃς ἄν τινι ἡμῶν, ᾧ φαίνεται καὶ ἔστι κακὰ, μεταβάλλων ποιήσῃ ἀγαθὰ φαίνεσθαι τε καὶ εἶναι. Heindorfio ad Plat. Gorg. 520, B adnotanti hoc καί vim quantam intendendi habere, plane adsentio quare hunc particulae usum hoc loco tractavi. Eadem vis etiam in priore καί sine dubio inest in illis verbis quae supra e libri, qui est de victu acutor., §. 59 descripsi: ταύτην καὶ οἶδα κτλ. Quare nescio an in §. 25 libri, qui est de aëre aquis locis (I,291) ubi vulgo legis: Ἐνταῦθα καὶ οἱ Σκύθαι διαιτεύνται, Reinholdus verbis transpositis non recte scripserit: καὶ ἐνταῦθα οἱ Σκύθαι διαιτ. Equidem pristinam scripturam retinendam esse censeo, quia demonstrativum quod est ἐνταῦθα particula καί, vi intendendi praedita, aptissime effertur. Postquam enim libri auctor regionis naturam accuratius descripsit, ubi ad conclusionem accedit, efficaciae causa demonstrativum ἐνταῦθα magna vi pronuntiatur. Itaque factum est, ut nonnullis locis, ubi quid καί sibi vellet, primo obtutu non satis in aprico erat, ab editoribus injuria ut mihi videtur, deletum sit, ut de vict. acut. §. 24 (I, 387), ubi Ermerinsius καί ante verba κατὰ λόγον sustulit, de medico §. 14 (I,| 22) ἐχόμενον δὲ τούτων ἐστὶ καὶ (Ermerins. ἡ) κατὰ στρατιὴν γιγνομένων τρωμάτων χειρουργία, ubi propterea καί adposuit auctor, quod simul cogitavit de iis vulneribus, quibus extra militiam homines afficiuntur.

Denique obiter memoro, particulam καί loco adverbii positam, ut apud Atticos sic in his libris, saepenumero usurpatam esse in sententiis conditionalibus post εἰ et ἤν . cf.

---

1) Quin hoc loco re vera δὴ πώποτε lateat in vulgata scriptura οὐδὲ πώ ποτε atque feliciter ab Ermerinsio restitutum sit, vix dubitari potest. cf. Ermerins. adnot. ad. h. l.

Epid. I, 10 (II, 948), III, sect. 3, 3 (II, 1083) ibid. 12 (II, 1089) lex de arte, de vet. med. §. 10 (I, 4); de nat. hom. §. 2 (I, 225). Rarius invenitur post particulam quae est ἤ. cf. de aër. aqu. loc. §. 17 (I, 228), Prognost. §. 3 (I, 37) et 44 (I, 45). Saepissime autem legis δὲ καί et ἀτὰρ καί, quae particulae usu ita trita sunt, ut exempla afferre non necessarium videatur. Hoc dixisse sufficiat, has particulas constanter poni post verbum e prioribus repetitum ut Coaca 579 (I, 211): τὸ παραλόγως πέπον (οὖρον) . . . φλαῦρον . φλαῦρον δὲ καί . . Epid. VI, sect. 1. 13 (II, 1165): οἷσι περιτείνεται τὰ βλέφαρα, κακόν . κακὸν δὲ καὶ κτλ. Itaque quod Ermerinsius Epid. II, sect. 1, 8 (II, 1006) legi vult: αἱ μετριότητες . . σκεπτέαι . Σκεπτέαι αἱ προςαυξήσιες, vocem σκεπτέαι conjectura bis scribens, magis horum librorum sermoni accomodatum mihi videretur, si illas particulas vir doctissimus post verbum iteratum inseruisset.

Jam transeamus ad alteram particulam copulativam quae est τέ. De hujus significatione et de rationibus, quibus differat a particula καί permulta a grammaticis disputata sunt, quae omnia breviter narrata et inter se comparata inveniuntur apud Bäumleinium, part. graec. p. 206—221, ubi vir doctissimus et ipse de hac difficili particula accurate disseruit. Atque ut quid sentiam de universa hujus particulae encliticae ratione, libere pronuntiem, videtur mihi eam ipsam ob causam, quod per se infirma est neque quidquam valet nisi cum aliis verbis conglutinata interiorem et arctiorem nexum efficere. In scriptis hippocraticis τέ alteri particulae copulativae quae est καί, numero et copia minime cedit, sed in omnibus eis libris quos legi creberrima est, quattuor exceptis, qui inscribuntur de humoribus, de medico, de officina medici, de victu salubri. In his rarius invenitur.

Et primum quidem τέ novas enunciationes prioribus addit aut in majore ambitu singula membra adnectit, ut de aër. aqu. loc. §. 4 (I, 282): τὰς δὲ κεφαλὰς ὑγιηρὰς ἔχουσι καὶ σκληράς, ῥηγματίαι τέ εἰσι ἐπὶ τὸ πλῆθος, ibid. §. 3 (I, 281) ἀνάγκη μετέωρα ἐόντα (τὰ ὕδατα) εἶναι τοῦ μὲν θέρεος θερμά, τοῦ δὲ χειμῶνος ψυχρά, τούς τε ἀνθρώπους τὰς κεφαλὰς ὑγρὰς ἔχειν . ., τὰς δὲ κοιλίας αὐτῶν πυκνὰ ἐκταράσσεσ-

θαι. Sed cum hoc in libro, qui est de aëre aquis locis, summe usitatum sit, ita ut *τέ* cum aliis particulis, maxime cum vocula *δέ*, in sententiis adjungendis mutetur, quo magis hoc perspicuum sit, paragraphum tertiam (I, 281—282) percurrere operae pretium est, cujus singulae sententia ita adjunguntur: *ἥ τις μὲν πόλις — ταῦτα δὲ — καὶ αὐτῇ — ἐν ταύτῃ — τούς τε ἀνθρώπους — τά τε εἴθεα — ἐσθίειν δὲ — ὁκόσοι μέν — ἡ γὰρ κραιπάλη — νοσήματά τε — πρῶτον μέν — ἔπειτα — τοῖσι δέ — τοῖσι δὲ — πλευρίτιδες δέ — οὐ γὰρ — ὀφθαλμίαι τε.* In extrema vero parte §i quintae (I, 282—283) omnia fere enunciata particula *τέ* adjunguntur. Incipiunt enim singulae partes hoc modo: *ὁκόσαι μέν — πρῶτον μέν — ἔπειτα — ὁ γὰρ ἥλιος — τά τε εἴδεα — λαμπρόφωνοί τε — ἐοικέ τε — τά τε νοσευματα — αἵ τε γυναῖκες.* Non mirum igitur est, satis multis locis scripturam incertam esse, utrum *τέ* scribendum sit an *δέ*. Sed ille particulae *τέ* usus in omnibus his libris animadvertitur, quamquam minus frequenter invenitur quam in libro qui est de aëre, aquis locis. Mirum autem est, quantopere hic usus in libro de capitis vulneribus extenuetur. Nam praeter paucas sententias in paragraphis 22 et 24 (I, 909) vix invenias exempla quae huc pertineant.

Singulae voces vel notiones ut apud alios scriptores Graecos (cf. Bäumlein, part. graec. p. 213, Eucken de Aristotelis dic. rat. p. 14), ita etiam in his libris per particulam *τέ* rarissime conjunguntur. Aliquoties participia hac ratione copulantur, ut Coac. 92 (I, 130): *τὰ ἐπιεικῶς ἔχοντα πυκνά τε μεταπίπτοντα,* de internn. affect. §. 1 (I, 532): *θεραπευθεὶς ὑγιής τε γενόμενος.* Etiam Praedict. I, 41 (I, 70) huc referri potest, ubi participia cum substantivis conjuncta sunt; legis enim: *κοιλίαι ἀπολελαμμέναι . . μυκτήρ τε ἐπὶ τούτοισι ἐπιρρηγνύμενος.* Itaque quod Ermerinsius Epid. II, sect. 2, 19 in verbis: *ἔτεκε παιδίον σαρκῶδες μὲν, ἔχον τε τὰ μέγιστα διακεκριμένα, μέγεθος δὲ ὡς τετραδάκτυλον* conjecturâ scribit *ἔχων τε* pro vulgari *ἔχον δέ,* recte fecisse videtur, non modo quia universo sermonis graeci usui convenit, verum etiam viro doctissimo assentiendum esse puto quod in adnotatione dicit: nimirum cum antecedente hoc arcte conjungen-

dum et *δέ* quod superiori *μέν* respondeat, legitur in seqq. *μέγεθος δέ*. — Exemplum, ubi infinitivi ita copulantur, exstat de morbis I, 4 (I, 447), ubi legis *ξυμφῦναι διακοπὲν ἐπιφλεγμῆναί τε ἰσχυρῶς*, ibid. §. 21 (I, 455) legis *ἡ γὰρ σὰρξ τό τε ἕλκος κτλ.* quod num admitti possit primum dubitavi, quod aliud exemplum, quo haec duo substantiva copulandi ratio comprobetur, nusquam explorare potui et codicis *θ* scripturam, a Littréo receptam, quae est *ἡ γὰρ σὰρξ ἡ τοῦ ἕλκεος*, praeferrem nisi verba, quae modo e Praedict. 1, 41 descripsi, etiam ad illud confirmandum afferri possent. Accedit quod similiter comparata sunt verba, quae leguntur Epid. II, sect. 1, 10 (II, 1008): *τὸ πολὺ χλωρὸν τό τε ἐκ λευκοχρόου*.

Deinde memorandum est, per particulam *τέ* membra appendicis instar adnecti, verbo, quod e prioribus facile intelligitur, non adposito, ut Prognost. §. 47 (I, 46) *χρὴ τὰς φορὰς τῶν νοσημάτων τῶν αἰεὶ ἐπιδημεύντων ταχέως ἐνθυμέεσθαι, τήν τε τῆς ὥρης κατάστασιν*, de morbis II, 39 (I, 473): *αὐτὸς γίγνεται χλωρὸς, οἵ τε ὀφθαλμοὶ μάλιστα*, de internn. affect. §. 42 (I, 555) *σῖτα προσφερέσθω, ἄρτον ἔξοπτον, μᾶζάν τε ψαιστὴν ὡς μάλιστα*. Sed omnis haec copulandi et adjungendi ratio ab eis libris, qui ipsius Hippocratis feruntur, aliena est.

Ut supra obiter dixeram, particulae quae sunt *τέ* et *δέ* saepissime in his libris confunduntur. Quod si fit, plerumque difficillimum est ad dijudicandum, utra particula ab ipso auctore posita sit. Duobus tamen locis, ubi vulgo *τέ* scribitur, hanc particulam in *δέ* mutandam esse pro certo habeo. Primum in §. 6 libri qui est de aëre aquis locis (I, 283), ubi legis: *οὐ προςέχουσι τὰ πνεύματα, ἅ τε προςέχουσι αὐτοῖσι καὶ προςκεῖνται, ὑδατεινότατά ἐστι*, in verbis quae particula *τέ* adjunguntur, major oppositio inest, quam quae simpliciter per copulativam adnectantur. Nam per hanc, in initio sententiae positam, res inferri, quae ad unam rem describendam pertinent, nec vero contrarias, ex exemplis supra positis vidimus. Hoc autem loco scriptor, aliqua re posita, quasi se ipsum corrigens de contraria agit. Sequitur ut pro *τέ* scribamus *δέ*, quod etiam ab hanc causam praestare videtur, quod maxime collocari solet, ubi

quaedam vox iteratur [1]), ut hoc loco: οὐ προσέχουσι . . . ἃ δὲ προσέχουσι. Tum in libro qui est de locis in hom., §. 6. (I, 411): ταῦτα δὲ τὰ γεγραμμένα πᾶσι ὁμοίως εἰσὶ, ἄλλα δὲ φλέβιά εἰσι ἄλλοις, ἀλλ' οὐκ ἄξια λόγου legendum esse, non ἄλλα τε φλέβια, ex ipsius loci natura patere mihi videtur.

Particula τέ, cui alterum τέ respondet, quod e. c. apud Platonem, exceptis eis sententiis, ubi οὔτε . . οὔτε, μήτε . . μήτε, εἴτε . . εἴτε, ἐάν τε . . ἐάν τε legitur, rarissime exstat (cf. Bäumlein. part. graec. p. 220), in libro, qui est de aëre aquis locis sexies, in libro, qui est de victu acutorum novies invenitur. In libro, qui est de capitis vulneribus pauca tantum exempla exstant. De eis libris, qui restant, fere idem, quod de Platonis scriptis dicendum est, si harum particularum usum respicis.

Multo plurimis locis his particulis sententiae conjunguntur, singulae notiones rarissime. Hoc invenitur de vict. acut. §. 18 (I, 386): τοῖσί τε ὅλῃσι τῇσι πτισάνῃσι χρεομένοισι, τοισί τε τῷ χυλῷ αὐτέων, de aër. aqu. loc. §. 4 (I, 282) πλευρίτιδές τε πολλαὶ, αἵ τε ὀξεῖαι νομιζόμεναι νοῦσοι. Lex, de arte, de vet. med. §. 14 (I, 6): τῇ τε ὄψι τῷ τε ψαῦσαι, de fractis §. 6 (I, 755) ὅ τε πόνος αἵ τε ῥαστῶναι. Saepissime inter se respondent ἤν τε . . ἤν τε aut duo enunciata relativa aut praepositiones, cf. de vict. acut. §. 19 (I, 386) ἤν τε ξὺν ὀδύνῃ, ἤν τε ἄνευ ὀδύνης. Lex, de arte, de vet. med. §. 13 (I, 5) ἅς τε τοῖσι δημιουργοῦσι ἀναθετέον ἅς τε τοῖσι δημιουργεομένοισι . . de fract. et articulis §. 49 (I, 780): ὑπό τε τῶν ἰητρῶν ὑπό τε τῶν δημοτέων. His fere finibus usus particularum τὲ . . τὲ circumscribitur. Duobus membris non raro tertium vel quartum accedit, ut de fractis §. 55 (I, 783) κατά τε τὸν βραχίονα κατά τε τὸν πῆχυν κατά τε τὸν καρπὸν τῆς χειρὸς, de vict. acut. §. 43 (I, 391) αἵ τε . . αἵ τε . . . ὁκόσα τε.

Multo frequentius inter se respondent particulae τε . . καί, quae usu non multum a particulis καὶ . . καί differunt. Conjungunt enim non modo sententias, sed etiam cujusque generis notiones et singulas voces. Atque multae locutiones,

1) cf. supra p. 35.

de quibus supra verba fecimus, hic iterum essent tractandae, ut pro illo *καὶ ἄλλως καί* legis *ἄλλως τε καί*, significatione par, sed usu frequentius, ut apud alios scriptores Graecos. (cf. K. W. Krüger, griech. Sprachl. I, 69, 5). Invenitur enim e. c. in Coacis bis et vicies. Sed his praetermissis jam nonnullos locos inter se comparare liceat, ubi hae particulae quasi coacervatae alia responsione alias figuras efficiunt. Ita in verbis, qui sunt de aër. aqu. locis §. 13 (I, 286): *ὁκόσων μὲν ἥ τε κοιλίη εὔρούς τε καὶ ὑγιηρή ἐστι καὶ ἡ κύστις μὴ πυρετώδης*... haec figura inest: *τὲ .. τὲ καὶ . . καί*. Similiter comparatus est locus de morbis I, 6 (I, 448) ubi legis: *τά τε νοσήματα γιγνώσκειν ἅ τέ ἐστι καὶ ἀφ᾽ ὅτων καὶ τὰ μακρὰ αὐτῶν καὶ τὰ βραχέα καὶ . . καὶ . .* At in ejusdem libri §. 9 (I, 450) ubi haec leguntur: *ἀλλὰ ἀρχόμεθά τε αὐτῆς (τῆς ἰήσιος), ἄλλο τε λέγοντες ἄλλο τε ἐργαζόμενοι καὶ τελευτῶμεν ὡσαύτως* hoc schema est: *τὲ . . τὲ . . τὲ . . καί*. Tertium quod hoc est: *τὲ . . καὶ . . καὶ . . καί* exstat Epid. VI, sect. 8, 32 (II, 1201—1202) ubi de muliere quadam hoc refertur: *τό τε σῶμα ἠνδρώθη καὶ ἐδασύνθη πάντα καὶ πώγωνα ἔφυσε καὶ ἡ φωνὴ τρηχεῖα ἐγένετο.* Ad haec pauca adjicienda sunt, quae ad usum praepositionum spectant in ejusmodi sententiis quarum partes per particulas *τὲ .. καί* copulantur. Iteratur praepositio in altero membro: de aër. aqu. loc. §. 14 (I, 287) *τῆς τε γῆς ὑγρῆς ἐούσης ὑπὸ τῶν ὄμβρων καὶ ὑπὸ τοῦ νότου*, de quibus verbis quid monendum sit, mox videbimus, ibid. §. 22 (I, 290): *ὑπό τε τοῦ ἡλίου σηπόμενα καὶ ὑπὸ τῶν ὄμβρων ἐπαυξόμενα,* de cap. vulnerib. §. 5 (I, 898) *ἔν τε τῷ ἔμπροσθεν τῆς κεφαλῆς καὶ ἐν τῷ ὄπισθεν,* ibid. §. 24 (I, 909) *ἀναξηραίνεται γὰρ τὸ αἷμα ὑπό τε τοῦ χρόνου καὶ ὑπὸ φαρμάκων.* Omittitur in altero membro: de aëre aqu. loc. §. 31 (I, 294): *περί τε τῆς Εὐρώπης καὶ τῆς Ἀσίης,* de cap. vuln. §. 3 (I, 897): *ἔν τε τῇ σαρκὶ καὶ τῷ ὀστέῳ.* Prognost. §. 8 (I, 38): *ἔκ τε τῶν ῥινῶν καὶ τοῦ στόματος,* ibid. §. 9 (I, 38) *περὶ τὴν κεφαλήν τε καὶ τὸ πρόσωπον,* ibid. §. 47 (I, 46) ejusdem praepositionis exemplum est. Deinde: de morb. I, 20 (I, 455) *ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τε καὶ τοῦ ἄλλου*

σώματος, de vict. acut. §. 17 (I, 386) *ὑπὸ τῆς ὀρθοπνοίης τε καὶ τοῦ ῥέγχους*, quorum verborum ordinem Reinholdus, nescio qua de causa, hac ratione immutat: *ὑπό τε τῆς ὀρθοπνοίης καὶ τοῦ ῥέγχους*, id quod probat Ermerinsius in epimetri continuatione p. 3. Sed quid in vulgari callocatione offensionis sit non perspicitur, illis praesertim verbis collatis, quae modo e libro I, qui est de morbis et e Prognost. §. 9 descripsi. — Jam igitur ex his paucis exemplis quae attuli, in altero membro praepositionem saepius omitti quam poni apparet, sed praepositionum usu accuratius perquisito hoc melius definiri posse existimo.

Id quod supra dicebam, disserendum esse de verbis *τῆς τε γῆς ὑγρῆς ἐούσης ὑπὸ τῶν ὄμβρων καὶ ὑπὸ τοῦ νότου* (de aër. aqu. l. §. 14), ad collocationem particulae *τέ* spectat. Exspectas enim: *τῆς γῆς ὑ. ἐ. ὑπό τε τῶν ὄμβρων κτλ.* atque eodem modo nonnunquam etiam apud Atticos (cf. Bernhardy, wissenschaftliche Syntax p. 461, 462. Madvig. griech. Syntax §. 185, 4) *τέ* non proprio loco invenitur, sed praeponitur ad notionem, ad quam utrumque membrum quod sequitur referendum est. Alia exempla, quibus hic usus apud Hippocratem confirmatur, sunt: de aër. aqu. loc. §. 14 (I, 287) *κίνδυνος θανάτου τε γενέσθαι τοῖσι παιδίοισι καὶ τῇσι γυναιξί*, Epid. III, sect. 3, 3 (II, 1083) *μαδήσιές τε ὅλης τῆς κεφαλῆς ἐγίγνοντο καὶ τοῦ γενείου καὶ ὀστέων.*

Particulae *τέ* respondet *δέ* praeter eos locos, de quibus supra locutus sum, maxime ubi conjunctas particulas *τὲ γάρ* legis, quibus neque alterum *τέ* neque *καί* respondet. Loci, ubi hoc invenis, hi sunt: de aër. aqu. loc. §. 10 (I, 285) *τήν τε γὰρ ἀρχὴν* et multis interjectis sequitur: *ἔτι δὲ πρὸς τούτοισι κτλ.* ibid. §. 22 (I, 290) §. 27, (I, 292), ubi *τά τε θηλέα* vult Coraës, de vict. acut. §. 16 (I, 385—386) *ὁκόσοισί τε γὰρ . . τοῦτο δέ.* Coaca 189 (I, 148), Prognost. §. 24 (I, 40) de locis in hom. §. 45 (I, 423), de internn. affect. §. 25 (I, 545), de fractis §. 13 (I, 760). Duobus tantum locis particulis *τὲ γάρ* nihil respondere videtur. Primum legis de morbo sacr. §. 12 (I, 306): *Τοὺς δὲ πρεσβυτέρους οὐκ ἀποκτείνει (τὸ φλέγμα) . . . αἵ τε γὰρ φλέβες εἰσὶ κοῖλαι καὶ αἵματος μεσταὶ θερμοῦ, διὸ οὐ δύναται ἐπικρατῆσαι τὸ*

φλέγμα, οὐδ' ἀποψύξαι τὸ αἷμα . . ἀλλ' αὐτὸ κρατέεται καὶ καταμίγνυται τῷ αἵματι ταχέως. Quam sententiam si intento animo intuitus eris, alterum membrum verbis *ἀλλ' αὐτο* effici senties, quod minime offendit, cum particulam *ἀλλα'* cum particula *δέ* vi ac significatione saepissime congruere viderimus. Tum legis de fractis §. 3 (I, 752): *τείνει τε γὰρ ταῦτα τὰ νεῦρα πρὸς τὸ τοῦ βραχίονος ὀστέον, ὅθεν ὁ πῆχυς μετρεῖται,* quo loco quid particulis *τὲ γάρ* respondeat frustra quaeris. Quae quum ita sint neque alio loco idem inveniatur codex Vossianus veram scripturam exhibere mihi videtur qui praebet *τείνουσι γὰρ,* qua scribendi ratione quod *τείνουσι* conjungitur cum neutro pluralis *ταῦτα τὰ νεῦρα* minime offendit, cum in his libris saepius fiat, cf. Epid. III, sect. 1. aegr. 3 (II, 1167), de flatib. §. 8 (I, 298), et omnino hic usus antiquior sit cf. schol. Ven. in Il. *Α,* 310. Neutris pluralibus verba pluralia apud Homerum non raro junguntur, cf. praeterea Pind. Ol. II, 84. Exempla prosariorum Atticorum dat K. W. Krüger, griech. Sprachl. I, 63, 2 adn. 2. Censeo igitur, quae R. Euckenius in dissertatione landata exposuit, illam grammaticorum doctrinam, nihil significare particulas *τὲ γάρ* nisi namque, etenim, in usum Aristotelis non quadrare sed semper desiderandum esse, quo *τε* exciperetur, haec etiam horum librorum sermone ab omni parte probari. Brevitatis causa his statim addo, ubi *καὶ γάρ* legis, particula *καὶ* semper id verbum cum prioribus conjungi, quod particulam *γάρ* sequitur, neque desiderari alteram particulam, quamquam saepissime etiam priori *καί* alterum in proximis respondet.

Particulas *τὲ δή* et *τὲ οὖν,* de quibus Eucken. l. l. p. 21 et 22, similiter judicat, si responsionem spectas, atque de particulis *τὲ γάρ*, ego in nullo librorum, quos legi, usquam vidi.

Usus particularum *οὔτε . . οὔτε, μήτε . . μήτε, εἴτε . . εἴτε, ἤν τε . . ἤν τε,* nihil obtulit, quod mentione dignum sit, nisi quod nonnullis locis invenis: *οὔτε . . τὲ* ut Praedict. I, 124 (I, 78) Prognost. §. 15 (I, 39) Epid. III, aegri XVI, aegr. 1 (II, 1093). In enumerationibus etiam hae particulae

compluries repeti solent. cf. Prognost. §. 36 (I, 43): *μήτε* .. *μήτε* .. *μήτε* .. *τε*.

Particulae *τὲ δέ*, quarum illa novam rem cum prioribus conjungit, haec oppositionem quandam indicat, quam rationinem etiam particularum *καὶ* .. *δέ* esse vidimus, in tribus illis libris, qui sunt, de aëre aquis locis, de capitis vulneribus, de victu acutorum, non exstant et praeterea rarissime inveniuntur. Leguntur e. c. in Prognostici §. 37 (I, 43) *οἵ τε γὰρ εὐηθέστατοι τῶν πυρετῶν* .. *τεταρταῖοι παύονται* . *οἵ τε δὲ κακοηθέστατοι τεταρταῖοι κτείνουσι*.

Caput III.

De particulis *δή, οὖν, γέ, μήν.*

Particulae *δή* universa vis ac significatio cum ab hominibus doctis accurate sit examinata atque definita (cf. Klotz ad Devar. p. 393. sqq. Hartung, doctrina part. ling. graec. I, p. 222 sqq. Heller, Philolog. vol. VIII, p. 277. Bäumlein, part. graec. p. 98) neque ego habeam, quod his aut novum addam aut contrarium objiciam, statim ad usum hujus particulae, qualis appareat in singulis libris, describendum, transire liceat. Atque cum eam particulam his locis libri qui est de capitis vuln. invenias: §§. 4 (I, 897), 8 (I, 899), 16 (I, 903), 18 (I, 906), 23 (I, 908), 24 (I, 909), inter eos nullus est, quo ad totam sententiam non pertineat, quam aut natura aut prioribus verbis manifestam esse significat. Hoc maxime perspicuum est eis elocutionibus, quibus demonstrativum continetur ut §. 4: *καὶ δὴ τούτων οὕτως ἐχόντων*, §. 8 *καὶ δὴ οὕτω ῥωγμὴ ἂν προσείη*, §. 18: *τὰ δὴ τοιαῦτα.* Ad illud genus sententiae referendae sunt, ut haec: *καὶ δὴ ἅτε τῆς ῥαφῆς ἑτοίμης ἐούσης ῥήγνυσθαι καὶ διαχαλᾶν*, (§. 16). Loci ubi non nisi ad singula verba pertineat, in hoc libro non exstant. Etiamsi enim voces, quas sequitur particula *δή*, praeter cetera efferri solent, tamen hujus vis toti sententiae tribuenda est. In libro, qui est de aëre aquis locis, usus non differt, nisi quod particula rarius invenitur. Bis a Coraë praeclare restituta est in §§. 19 (I, 288) et 30 (I, 293), atque Ermerinsius priore loco recte eam collocavisse videtur. In libro autem, qui est de victu acut. quinquies decies exstat, qua ex re etiam usum magis varium esse concludi potest. Itaque non modo ad sententias, sed etiam ad singulas voces

refertur, id quod probatur his verbis §. 9 (I, 384): *Φημὶ δὴ πάγκαλον εἶναι κτλ.* Maxime vero hic liber eo a prioribus differt, quod aliquoties *δή* cum aliis particulis consociatur, quibuscum in illis non conjunctum est. Nam cum in illis praeter particulas *καὶ δή*, de quibus quid sentiendum sit, postea dicemus, nihil inveniatur quod huc referri possit, in libri, qui est de victu acutorum §. 28 (I, 388) legis: *εἰ γάρ δὴ τοῖσί γε ὑγιαίνουσι φαίνεται κτλ.*, quales particularum concursiones a scribendi ratione illorum librorum plane abhorrent. Praeter has particulas, quarum suam quaeque vim retinet, invenis in §. 45 (I, 391) *δὲ δή*, de quibus supra p. 42 dictum est. Eaedem voces in §§. 38 (I, 390) et 66 (I, 395) e vetustissimo codice restitutae sunt. Denique affero particulas *δὴ οὖν*, quarum vis, quae sit apud Hippocratem, ex his solis verbis, quod sciam, cognosci potest, quae leguntur in §. 49 (I, 392): *ὁ δὴ οὖν πλειστός μοι λόγος γέγονε τῆς μεταβολῆς τῆς διαίτης ἐπὶ τὰ καὶ ἐπὶ τά.* Primo obtutu hae particulae consociatae molestae nobis videntur, sed cum etiam apud optimos scriptores Atticos obviae sint (cf. Klotz ad Devar. p. 418, Ast, lex. Plat. I, p. 449), quae explicatio constituenda sit videamus. Neque dubium est, quin harum particularum prior totum enunciatum e superioribus manifestum esse indicet, nec non altera, cum conclusionem significet, ad ea spectat, quae antecedunt, in qua ipsa re est, cur unam alteram superfluam esse opinemur. Attamen sua utrique vis servanda est neque alia hujus rei explicatio esse videtur quam haec, alterius vim altera augeri, ita ut scriptor in ejus modi locis magna fiducia aliquid e prioribus manifestum esse contendat[1]). — Deinde in enunciatis conditionalibus post *ἤν* et *εἰ* ponitur *δή*, qua ratione id quod sententia conditionali continetur, manifestum esse indicari recte docet Eucken, l. l. p. 48 et exempli causa ab omni parte probatur his verbis e §. 28 (I, 388) libri qui est de victu acutorum descriptis: *εἰ γὰρ δὴ τοῖσί γε ὑγιαίνουσι φαίνεται διαφέροντα μέγα τὰ τοῖα ἢ τοῖα διαιτήματα, . . πῶς*

1) cf. Val. Chr. Fr. Rost, de particulae *οὖν* derivatione, significatione, usu. p. 5.

οὐχὶ καὶ ἐν γε τῇσι νούσοισι διαφέρει μέγα, quibus verbis diligenter consideratis, eadem explicatio non prorsus sufficere videtur in interpretandis verbis §. 45 (I, 391) quae haec sunt: *καὶ γὰρ ἢν ὅλον τὸ σῶμα ἀναπαύσηται πουλὺ παρὰ τὸ ἔθος, οὐκ αὐτίκα ἔρρωται μᾶλλον . ἢν δὲ δὴ καὶ πλείω χρόνον διελινύσαν ἐξαπίνης ἐς τοὺς πόνους ἔλθῃ, φλαῦρόν τι πρῆξαι ἐπιδήλως.* Sentis particulam potius in apodosi exspectari, quam in protasi. Atque profecto particulam ad protasin pertinere nego, ubi quid tandem significet, minime elucet, quamquam me non fugit, legi in Coaca 244 (I, 158): *Ἀνάχρεμψις πυκνὴ, ἢν δή τι καὶ ἄλλο σημεῖον προσῇ, φρενιτικόν* [1]). Sed hoc loco aliter comparato *δή* id significat, quod per se manifestum est, ut nostro sermone apte vertas particulas: wenn natürlich, wenn selbstverständlich, quae significatio quam parum in priorem locum quadret, ipse videre potes. Existimandum est igitur, particulae vim illo loco maxime ad apodosin spectare, quâ hujus ratio legenti ab initio totius sententiae significetur. Quod igitur in fine sententiae *ἐπιδήλως* significat, jam antea particula *δή* denotatur. — Denique semel in hoc libro invenis *ὡς δή* (cf. §. 37 — I, 389) de quibus particulis conferantur quae dicit Naegelsbachius ad Il. I. 110.

Hic fere usus est particulae *δή* in illis tribus libris, qui maxime in Hippocratis dicendi usu describendo observandi sunt.

E reliquis libris complures eo congruunt quod *δή* in iis rarissime exstat. Nam in aliis eorum bis, in aliis semel tantum invenitur. Quod cum cadat in libros Epidemiorum, in Coacas, in Prognosticum, in librum Praedictorum, in librum qui est de humoribus, cum illa brevissima et tenui dicendi ratione, quae horum librorum propria est, arcte conjunctum esse apparet. Paullo frequentius *δή* invenitur in libro I, qui est de morbis — neque enim in alterum neque in tertium idem valet, quippe in quorum utroque non plus quam semel legatur — deinde in libris, qui sunt de morbo sacro, de internis affectionibus, de victu salubri, de locis in homine,

---

1) Eadem verba legimus Praedict. 1. 6 (I, 67).

refertur, id quod probatur his verbis §. 9 (I, 384): *Φημὶ δὴ πάγκαλον εἶναι κτλ.* Maxime vero hic liber eo a prioribus differt, quod aliquoties *δή* cum aliis particulis consociatur, quibuscum in illis non conjunctum est. Nam cum in illis praeter particulas *καὶ δή*, de quibus quid sentiendum sit, postea dicemus, nihil inveniatur quod huc referri possit, in libri, qui est de victu acutorum §. 28 (I, 388) legis: *εἰ γάρ δὴ τοῖσί γε ὑγιαίνουσι φαίνεται κτλ.*, quales particularum concursiones a scribendi ratione illorum librorum plane abhorrent. Praeter has particulas, quarum suam quaeque vim retinet, invenis in §. 45 (I, 391) *δὲ δή*, de quibus supra p. 42 dictum est. Eaedem voces in §§. 38 (I, 390) et 66 (I, 395) e vetustissimo codice restitutae sunt. Denique affero particulas *δὴ οὖν*, quarum vis, quae sit apud Hippocratem, ex his solis verbis, quod sciam, cognosci potest, quae leguntur in §. 49 (I, 392): *ὁ δὴ οὖν πλειστός μοι λόγος γέγονε τῆς μεταβολῆς τῆς διαίτης ἐπὶ τὰ καὶ ἐπὶ τά.* Primo obtutu hae particulae consociatae molestae nobis videntur, sed cum etiam apud optimos scriptores Atticos obviae sint (cf. Klotz ad Devar. p. 418, Ast, lex. Plat. I, p. 449), quae explicatio constituenda sit videamus. Neque dubium est, quin harum particularum prior totum enunciatum e superioribus manifestum esse indicet, nec non altera, cum conclusionem significet, ad ea spectat, quae antecedunt, in qua ipsa re est, cur unam alteram superfluam esse opinemur. Attamen sua utrique vis servanda est neque alia hujus rei explicatio esse videtur quam haec, alterius vim altera augeri, ita ut scriptor in ejus modi locis magna fiducia aliquid e prioribus manifestum esse contendat[1]). — Deinde in enunciatis conditionalibus post *ἤν* et *εἰ* ponitur *δή*, qua ratione id quod sententia conditionali continetur, manifestum esse indicari recte docet Eucken, l. l. p. 48 et exempli causa ab omni parte probatur his verbis e §. 28 (I, 388) libri qui est de victu acutorum descriptis: *εἰ γὰρ δὴ τοῖσί γε ὑγιαίνουσι φαίνεται διαφέροντα μέγα τὰ τοῖα ἢ τοῖα διαιτήματα, . . πῶς*

---

1) cf. Val. Chr. Fr. Rost, de particulae *οὖν* derivatione, significatione, usu. p. 5.

οὐχὶ καὶ ἔν γε τῇσι νούσοισι διαφέρει μέγα, quibus verbis diligenter consideratis, eadem explicatio non prorsus sufficere videtur in interpretandis verbis §. 45 (I, 391) quae haec sunt: καὶ γὰρ ἢν ὅλον τὸ σῶμα ἀναπαύσηται πουλὺ παρὰ τὸ ἔθος, οὐκ αὐτίκα ἔρρωται μᾶλλον. ἢν δὲ δὴ καὶ πλείω χρόνον διελινύσαν ἐξαπίνης ἐς τοὺς πόνους ἔλθῃ, φλαῦρόν τι πρῆξαι ἐπιδήλως. Sentis particulam potius in apodosi exspectari, quam in protasi. Atque profecto particulam ad protasin pertinere nego, ubi quid tandem significet, minime elucet, quamquam me non fugit, legi in Coaca 244 (I, 158): Ἀνάχρεμψις πυκνὴ, ἢν δή τι καὶ ἄλλο σημεῖον προσῇ, φρενιτικόν [1]). Sed hoc loco aliter comparato δή id significat, quod per se manifestum est, ut nostro sermone apte vertas particulas: wenn natürlich, wenn selbstverständlich, quae significatio quam parum in priorem locum quadret, ipse videre potes. Existimandum est igitur, particulae vim illo loco maxime ad apodosin spectare, quâ hujus ratio legenti ab initio totius sententiae significetur. Quod igitur in fine sententiae ἐπιδήλως significat, jam antea particula δή denotatur. — Denique semel in hoc libro invenis ὡς δή (cf. §. 37 — I, 389) de quibus particulis conferantur quae dicit Naegelsbachius ad Il. I. 110.

Hic fere usus est particulae δή in illis tribus libris, qui maxime in Hippocratis dicendi usu describendo observandi sunt.

E reliquis libris complures eo congruunt quod δή in iis rarissime exstat. Nam in aliis eorum bis, in aliis semel tantum invenitur. Quod cum cadat in libros Epidemiorum, in Coacas, in Prognosticum, in librum Praedictorum, in librum qui est de humoribus, cum illa brevissima et tenui dicendi ratione, quae horum librorum propria est, arcte conjunctum esse apparet. Paullo frequentius δή invenitur in libro I, qui est de morbis — neque enim in alterum neque in tertium idem valet, quippe in quorum utroque non plus quam semel legatur — deinde in libris, qui sunt de morbo sacro, de internis affectionibus, de victu salubri, de locis in homine,

---

1) Eadem verba legimus Praedict. 1. 6 (I, 67).

de fractis, de medico, de officina medici, de flatibus, denique in parte spuria libri qui est de victu acutorum. Inter omnes autem copia et multitudine particulae *δή* insignis est liber, qui inscribitur lex, de arte, de vetere medicina. In hoc enim libro sexies et vicies exstat. His igitur constitutis magis de universo particulae usu dicendum est.

Atque primum quidem *δή* haud raro in apodosi collocatur ut de locis in hom. §. 9 (I, 412): *ὅταν δὲ τὰ κάτω ξηρὰ γένωνται, τὰ δ'ἄνω ὑγρὰ . . . ἄγει δὴ τὸ ξηρὸν τοῦ σώματος τὸ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑγρόν*, quo loco, cum satis ampla parenthesis inter protasin et apodosin inseratur, haec effertur, quippe in qua summa totius sententiae vis posita sit et quo facilius is qui legit ad protasin eam referat, quem usum aliorum scriptorum verbis illustrant Klotz ad Devar. p. 396, Hartung I, 261 sqq. Aliud ejusdem generis exemplum est lex, de arte, de vet. med. §. 36 (I, 16), ubi post interposita verba *διὸ καὶ αἱ κρίσιες — δύνανται*, apodosis inde a verbis ducitur: *πάντων δὴ τούτων κτλ.*, quibus singulae res ante enumeratae comprehenduntur. Tertiam exemplum invenis lex, de arte, de vet. med. §. 8 (I, 3). Non tamen solum propter verba, quae inseruntur, particulam *δή* poni, sed in universum ad sententiam efferendam docet locus, qui est de affect. §. 34 (I, 525): *ὅταν ὑπὸ τρώματος ἢ πτώματος ἀθροισθῇ (τὰ φύματα), ξυμφέρει δὴ κτλ.* Ex omnibus his exemplis, particulam *δή* in apodosi quam maxime sententiae initium petere, finem fugere elucet, de qua re moneo, quod Ermerinsius de morbis I, 19 (I, 454) unum codicem *ϑ* secutus scribit: *ἢν δὲ ὅ τε χρόνος πλείων γένηται καὶ αὐτὸς ἀσθενέστερος καὶ ἀναπτύσαι μὴ δύνηται, ἀλλὰ καυθῇ ἢ τμηθῇ καὶ τὸ πῦον ἐξέλθῃ, παραντίκα μὲν καὶ οὕτω δοκέει δή τι ῥάων γεγονέναι*, ubi codicum ceterorum scripturam *καὶ οὕτω δή τι δοκέει* praeferre non dubito, praesertim quum *δή* post demonstrativum *οὕτω* pulcre ponatur, de qua collocatione Hartungius l. l. p. 259 haec dicit: Sehr oft tritt diesem *δή* ein Demonstrativum voraus, wie *τότε, ἐνταῦθα, οὕτως* etc. Idem demonstravit Klotzius ad Devar. p. 395. Cum igitur usus particulae *δή* in apodosi collocatae in his libris hic sit, quod Ermerinsius in §. 33 libri, qui inscribitur lex, de arte, de

vetere medicina (I, 14) legit: *εἰ δὲ δὴ τυγχάνει τὸ μὲν θερμὸν ἐὸν στρυφνὸν, ἄλλο δὲ θερμὸν ἐὸν πλαδαρὸν, ἄλλο δὲ θερμὸν ἄραδον ἔχον — ἔστι γὰρ καὶ ἄλλα πολλὰ θερμὰ καὶ ἄλλας πολλὰς δυνάμιας ὑπεναντίας ἑωυτοῖσι ἔχοντα — δεήσει δή τι αὐτῶν προςενεγκεῖν κτλ.*, *δεήσει δή* conjecturâ ponens pro *δεήσει δέ*, quae est vulgata scriptura, non rejiciendum esse mihi videtur, quamquam alii horum librorum loci, ubi *δή* et in protasi et in apodosi usurpetur, afferri nequeunt. Attamen analogia Ermerinsii conjecturam probari puto. Legis enim in ejusdem libri §. 8 (I, 3) haec: *Ὡς οὖν ποιέει τε ταῦτα (ἡ τέχνη) καὶ οἵη τέ ἐστι διὰ παντὸς ποιέειν, περὶ τούτου μοι δὴ ὁ λοιπὸς ἔσται λόγος.* Ut igitur hoc loco *οὖν* in protasi praecedit, ita illic particula *δή*, significatione simillima. Nam cum sententiam ex eis quae antecedunt, manifestam esse indicet, habet vim concludendi, ut particula *οὖν*.

Occasione oblata hoc loco memoro, de fractis §. 15 (I, 763) particulam *ἤδη* in apodosi inveniri, particula *δή* in in protasi praecedente. Verba haec sunt: *Ὅταν δὲ δὴ ἱκανῶς καταταθῇ, ῥηΐδιον ἤδη κατορθώσασθαι τὰ ὀστέα.*

Jam consideremus particulam *δή* post pronomina et adverbia collocatam. Atque quod jam supra dicebam, repeto, post demonstrativa facillime esse ad intelligendum, quid *δή* significet, cum, ubi demonstrativa ad ea quae praecedunt referuntur, ex his rem manifestam esse indicet, ita ut non raro vim concludendi quandam habeat maxime ubi complurium rerum enumerationi demonstrativo, quo omnia comprenendantur, finis imponitur. Interdum sententia relativa antecedit, ut in §. 19 libri, qui est lex, de arte, de vetere medicina (I, 8): *ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων τεχνέων οἱ δημιουργοὶ πολλὸν ἀλλήλων διαφέρουσι, οὕτω δὴ καὶ ἐπὶ ἰητρικῆς* et saepius, quibus locis particula ad demonstrativum pertinere videtur, si sententiam recte consideras, eam ad totum enunciatum pertinere intelliges. Post relativa *δή* non invenitur nisi in libris, qui sunt de victu acutorum, Epid. III. (cf. supra p. 79), de morbo sacro, de morbis I, de internis affectionibus, de flatibus, in Prognostico, in libro, qui inscribitur lex, de arte, de vetere medicina. Atque ita collocata haec particula semper

suam significationem retinens rem extra omnem dubitationem ponit, quippe de qua inter omnes constet. Nec minus, ubi hoc fit, vis particulae ad totum enunciatum pertinet, quamquam relativum urguetur. Sed hic usus in illis libris omnibus simplicissimus est, ut tantum exempli causa e Prognostici §. 42 (I, 42) haec verba adscribam: *ὁκόταν δὲ ἀποκριθῇ ἤδη πᾶν, ὃ δὴ σταφυλὴν καλέουσι, κτλ.* — Post voces *ὅστις, ὁκόσος, ὁκοῖος* cum particulae *δή* significatio fere contraria esse videatur, quoniam hae voces indefinitam vocem denotant, etiam hujus modi locutionibus illam propriam particulae vim subesse luculenter exposuit Hellerus in Philol. VIII, p. 305. Ita legis de cap. vuln. §. 24 (I, 909): *ὀστέον δὲ ὅ τι δὴ ἀποστῆναι δεῖ ἀπὸ τοῦ ἄλλου ὀστέου . . . ἀφίσταται ἐπὶ πολὺ ἔξαιμον γενόμενον,* de morbis I, 1 (I, 446) etiam perticula *ἄν* relativo additur. Legis enim: *καὶ ὅ τι ἄν δή τις τούτων ἁμαρτάνῃ ἢ λέγων ἢ ἐρωτῶν κτλ. . . ταύτῃ φυλάσσοντα χρὴ ἐπιτίθεσθαι ἐν τῇ ἀντιλογίῃ,* cf. praeterea de morb. sacro §. 2 (I, 301): *Ἐμοὶ δὲ δοκέουσι οἱ πρῶτοι τοῦτο τὸ νόσημα ἀφιερώσαντες τοιοῦτοι εἶναι ἄνθρωποι, οἷοι καὶ νῦν εἰσὶ μάγοι τε καὶ καθάρται καὶ ἀγυρταὶ καὶ ἀλαζόνες, ὁκόσοι δὴ προςποιέονται σφόδρα θεοσεβέες εἶναι καὶ πλέον τι εἰδέναι,* de internn. affect. §. 3 (I, 533): *ἐς χρῶμα δὲ ὁρέων μελετᾶν, ὁκοίων δή τίνων δοκέει σοι δεῖσθαι.* Itaque in libri, qui est de victu acutorum parte spuria, §. 34 (I, 402) quod Ermerinsius restituit *καὶ ὁκόσα δὴ ἐς οὔρησιν ἐν οἴνῳ καὶ μέλιτι* pro *καὶ ὁκόσα δεῖ κτλ.* loci rationi accomodatum videtur, ubi postquam aliquot pulmonum inflammationis remedia, quibus mel admisceri solet, singulatim descripta sunt, jam magis in universum disputans auctor libri omnino quaecunque urinae propellendae causa e melle exhibeantur, prodesse dicit.

Deinde ut apud alios scriptores, ita in his libris *δή* usurpatur post voculas *ἤν, εἰ, ὅταν, ὁκόταν, ἐπήν.* Praeter ea exempla quae supra attuli (cf. p. 70) *εἰ — δή* invenitur: lex, de arte, de vetere med. §. 33 (I, 14), deinde *εἰ δή* bis in §. 4 libri qui est de morbo sacro (I, 303), *ἤν δή* de morbis I, 21 (I, 455), II, 22 (I, 468), de fractis §. 42 (I, 777), *ἐπὴν δή* praeter unum locum, qui est de fractis §. 15 (I, 762) non exstare videtur. Idem valet in verba *ὅταν δή* quae

legis Epid. VI, sect. 3, 1 (II, 1174). Denique ὁκόταν δή reperitur in §. 22 partis spuriae libri, qui est de victu acut. (I, 400) de quo loco monendum est, verba ὑποχόνδριον μὲν γὰρ ἦν ἐπίπονον ἤ, cum multarum rerum enumeratio sequatur, apodosi carere, quare animus legentis per particulam ad illam protasin reducitur, ne oratio prorsus interrumpatur.

Δή in interrogationibus raro invenitur nulla alia de causa, quam quod hae ipsae cum simplici et tranquillo horum librorum sermone parum congruunt. In pauca tantum scripta ut in Coacas, in Prorrheticum I, in libros Epidemiorum qui spurii dicuntur hoc minime valere videtur, sed ne in his quidem istarum interrogationum longe plurimae ab ipsius auctoris manu profectae sunt, sed recentioribus interpolatoribus sine dubio debentur (cf. Ermerins. vol. I. praef. p. XIX). Praeterea liber, qui inscribitur lex, de arte, de vetere medicina sententiis interrogativis maxime insignis est, qui quantopere omnino a reliquorum simplicitate recedat, postea videmus. In hujus libri §§. 25 (I, 10) et 31 (I, 13) invenis τί δή in interrogatione recta. Idem legis in interrogatione indirecta de flatib. §. 12 (I, 299), ubi nonnulli codices praebent οὖν pro particula δή, quod non raro in quibusdam codicibus cum ea permutatur, ubi per sensum licet.

His igitur breviter expositis quibuscum aliis particulis δή in his scriptis conjungatur videamus. Itaque cum, quid de particulis μὲν δή, δὲ δή sentiendum sit jam supra p. 28 et 42 explicaverim, statim ad usum particularum καὶ δή definiendum transire liceat, quas jam supra in libro, qui est de capitis vulneribus ter — §§. 4 (I, 897), 8 (I, 899), 23 (I, 908) — deprehendimus. Et ut illic, sic aliis locis significatio harum particularum in initio sententiae positarum facile enucleari potest. *Καί* enim id addit, quod inter omnes constare et manifestum esse particulâ δή indicatur. Sic enim legitur Epid. II, sect. 2, 7 (II, 1012) de morbis I, 26 (I, 458). Sed notandum est, praeter haec quinque exempla vix alia reperiri, ubi καὶ δή nullo verbo interposito sententiam infert, quare quod Euckenius, de Aristot. dic. rat. p. 44 observavit: Aristotelem certam hanc legem sibi constituisse,

ut δή post καί nullo verbo interposito non collocaret, nisi alterum καί sequeretur, ita ut aut καὶ δὴ καί aut καὶ — δή, nullo vero loco καὶ δή diceret, in omnes horum medicorum libros quadrat, exceptis illis tribus, e quibus illa exempla attuli. Invenis e. c. particulas καὶ δὴ καί, in quibus alterum καί, ut etiam eis locis, ubi δὴ καί aut δὴ – καί legis, ut de vict. ac. §. 38 (I, 390), de fractis et articulis §. 56 (I, 784), de internn. affect. §. 49 (I, 559), vim habet intendendi, his locis: Epid. IV, 27 (II, 1132), de locis in hom. §. 3 (I, 409), de fractis 14 (I, 762), bis in ejusdem libri §. 15 (I, 762). Alterum καί verbo interjecto a prioribus particulis sejunctum invenis Epid. III, aegri XVI, aegr. 13 (II, 1111); primum vero καί a ceteris voculis particulâ γάρ disjungitur in §. 16 libri, qui inscribitur lex, de arte, de vetere medicina, καὶ — δή in libro I, qui est de morbis ter quidem invenitur, sed praeter haec pauca exempla exstant et ea quidem dubia, cf. de morb. III, 10 (I, 490), de locis in hom. §. 13 (I, 414) ubi Ermerinsius copulam recte addidisse videtur. Particulis καὶ δή respondet οὐδὲ δή in sententia negativa, quod tamen non inveni, nisi bis in libro, qui est de victu acutor. cf. §§. 35 (I, 389)[1]) et 67 (I, 395).

Particulae γὰρ δή quarum prior semper ad ea spectat quae antecedunt, maxime inveniuntur in libro, qui inscribitur lex, de arte, de vet. medicina; deinde libri qui sunt de victu acutorum, de victu salubri, de natura hominis, liber Epid. VI singula exempla praebent.

Quantum autem discrimen sit inter rationem scribendi in libro, qui lex, de arte, de vetere med. inscribitur et cetera scripta, inter quae libri qui sunt de aëre aquis locis, de capitis vulneribus, libri Epid. I et III maxime ab illo diversi sunt, hujus particulae usu optime cognoscitur. Nam non modo ab eis locutionibus, quibus complures particulae conjunguntur, quales haece sunt: εἰ γὰρ δὴ — γέ, οὐ γὰρ δὴ — γέ, καὶ γὰρ δὴ καί, — cf. lex, de arte, de vet. med. §§. 7

---

1) h. l. οὐδὲ δή servatum est in Galeni libro spurio de victus ratione in morbis acutis sec. Hippocrat., Kühn XIX, p. 193 et 195, et a Mackio et Ermerinsio receptum.

(I, 3) et 16 (I, 6) — sermo in his libris prorsus abhorret, verum etiam quaedam particulae, quae e particula *δή* cum alia vocula composita nascuntur, in eis plane non exstant. Particulam enim *δήπου* in illo libro, quo Ermerinsius primus tria scripta comprehendit, quater legis neque usquam alibi uno loco excepto, qui est de flatib. §. 12 (I, 299). Vocis vero, quae est *δήποτε* solum exemplum reperi ibid. §. 10 (I, 299).

Particula *οὖν*, ut ad eam transeamus, in libro, qui est de aëre aquis locis, multo saepius particulam *μέν* sequitur, quam huic non apponitur. Illud enim duodevicies, hoc ter tantum fit, in qua re huic simillimi sunt libri Epid. I et III et liber qui est de victu acutor. Nam in librum qui est de capitis vulneribus hoc non prorsus quadrat, cum in eo *μὲν οὖν* bis inveniatur, totidemque exempla, ubi *οὖν* particula *μέν* non praecedente, positum est, exstent. Sed cum de ratione, qua *μὲν οὖν* usurpetur, antea dictum sit (cf. p. 26 sqq.), statim quo modo ceterum horum librorum scriptores particulâ *οὖν* usi sint videamus. Atque si quis ut universum hujus particulae usum paucis definiam desideret, hoc dicam: eam maxime inveniri, ubi quid diligentius describitur atque accurata argumentatione demonstratur et ita quidem plerumque usurpatur, ut singula breviter comprehensa vel quae totius ratiocinationis summa est in fine ei qui legit, ante oculos ponat.

Ita fit ut id quod primum positum est, in fine fere ad verbum repetatur. Exemplo sint verba, quae legis de aër. aqu. loc. §. 11 (I, 285): *Τὰ ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλων (ὕδατα) πονηρὰ πάντα*, ad quod dictum comprobandum sequitur longa argumentatio, in cujus fine iterum legis: *Ταύτῃ οὖν νομίζω πονηρότατα ταῦτα τὰ ὕδατα εἶναι τὰ ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλων.* Ita in libro, qui est de victu acutorum, verba quae legis in §. 39 (I, 399): *τόδε γε μὴν κρέσσον μαρτύριον . οὐ γὰρ ἠδελφισμένον μοῦνόν ἐστι τῷ πρήγματι . . . ἀλλ᾽ αὐτὸ τὸ πρῆγμα ἐπικαιρότατόν ἐστι διδακτήριον . οἱ γὰρ ἀρχόμενοι κτλ.* et quae sub finem sequuntur *Τοῦτο οὖν ἡγεῦ-*

μαι μέγιστον διδακτήριον, tum quae legis in §. 41 (I, 390) *Πάντα οὖν ταῦτα μεγάλα μαρτύρια*, deinde quae inveniuntur in §. 46 (I, 391) *διὰ τέλεος οὖν μαρτυρέει ταῦτα πάντα ἀλλήλοισι ὅτι κτλ.* haec omnia quodam modo inter se cohaerent. Ego in hujusmodi sententiis propriam hujus voculae vim optime conspici puto propterea quod legentis animum ad rem revocat, quae cum jam antea posita sit, majore vi iteratur, quam non modo iteratione ipsa sententiae tribui consentaneum est, verum etiam quia scriptor quae certis causis confirmavit, ea majore fiducia pronuntiat, ut nos ejus modi sententias confirmare solemus voculis also wirklich, also in der That. (cf. V. Chr. Fr. Rost, über Ableitung etc. des Partikel *οὖν*, p. 2). Vis tamen collectiva et conclusiva magis magisque praevaluit, ita ut ubi illa iteratio non fit, sed particulâ *οὖν*, aliqua expositione facta, omnia paucis comprehenduntur, haec maxime cognoscatur. Haec significatio saepissime post demonstrativa apparet aut si ceterum indicatur, quid ex ratiocinatione sive longior est, sive brevior, efficiatur, ut de vict. acut. §. 29 (I, 388), postquam repentinae victus mutationes quam aegrotis periculosae sint multis enarratum est, hoc ponitur: *Ἀρήγει οὖν τούτοισι ἀνασηκῶσαι τὴν μεταβολήν.* Nonnunquam vero ne haec quidem significatio plane aperta est, cum id quod ponitur unde colligatur primo obtutu non insit in prioribus, cf. e. c. de aër. aqu. locis §. 12 (I, 286): *ὑφίστασθαι οὖν*, inquit auctor, *τοῖσι τοιούτοισι* (*ὕδασι*) *ἀνάγκη ἐν τοῖσι ἀγγείοισι ἰλὺν καὶ ψάμμον.* Cum autem in eis quae praecedunt de aliis aquis non dicat, nisi de eis, quae ex variis regionibus confluxae sunt, quales in magnis fluminibus invenis, ex his maxime limum et arenam in vasis subsidere non statim concluditur, sed tibi ipsi ratiocinatio hunc fere in modum supplenda est: aquas e variis terris confluxas varias ducere humi particulas, quas in corpus humanum introductas in vasis subsidere consentaneum est. Sed cum has in usu variationes pluribus exemplis illustrare longum sit neque necessarium, cum universi sermonis Graeci propriae sint, jam de iis videamus, quibus hi libri aut ab aliis aut inter se differant.

Ac primum quidem *οὖν* post parenthesin, cum apud

Atticos saepe inveniatur (cf. Klotz ad Devar. p. 718, Stallbaum ad Plat. Prot. 327, B) in illis quattuor libris, quorum inscriptiones supra dixi, non exstat, uno loco excepto qui est de victu acut. §. 64 (I, 395): *περὶ τῶν ἄλλων ποτῶν, — οἷον τὸ κρίθινον καὶ τὰ ἀπὸ χλοιῆς ποιεύμενα, καὶ τὰ ἀπὸ σταφίδος καὶ σταμφύλων καὶ πυρῶν καὶ κνήκου καὶ μύρτων καὶ ῥοιῆς καὶ τῶν ἄλλων, — ὅτε οὖν ἄν τινος αὐτῶν καιρὸς ᾖ χρέεσθαι, γεγράψεται παρ᾽ αὐτῷ τῷ νοσήματι.* Neque in reliquis quidem libris multo frequentius ita usurpatur. Legis tamen lex, de arte, de vet. med. §. 8 (I, 3): *περὶ δὲ τῆς ἰητρικῆς — ἐς ταύτην γὰρ ὁ λόγος — ταύτης οὖν τὴν ἀπόδειξιν ποιήσομαι καὶ πρῶτόν γε διοριεῦμαι ὃ νομίζω ἰητρικὴν εἶναι — τὸ δὴ πάμπαν ἀπαλλάσσειν τῶν νοσεόντων τοὺς καμάτους κτλ.,* ubi post parenthesin constructio paullo immutatur, cum scriptor pergat *ταύτης,* non *περὶ ταύτης,* hoc vero in proximis non habet, unde pendeat. Tum quater invenitur in libro qui est de internn. affect. in formula *τάδε οὖν πάσχει* quae exstat §§. 1 (I, 513), 6 (I, 534), 7 (I, 535), 13 (I, 539). Neque in apodosi saepius collocatur, ubi id quod apodosi continetur, e protasi necessario colligi indicat, ut Aphorism. I, 3 (II, 1243): *ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσι οὐδ᾽ ἔτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται οὖν ἐπὶ τὸ χεῖρον.,* aut, ut Klotzius l. l. p. 718 dicit: »*οὖν* adjuvat etiam apodosin eo quod complexum quasi earum rerum quas protasis continet, monstrat collectiva vi sua,« unde hoc maxime longiore protasi praemissa fieri intellegitur, ut Prognost. §. 1 (I, 36) *ἐπειδὴ δὲ οἱ ἄνθρωποι ἀποθνήσκουσι, οἱ μὲν πρὶν καλέσαι τὸν ἰητρὸν ὑπὸ ἰσχύος τῆς νούσου, οἱ δὲ καὶ ἐςκαλεσάμενοι παραχρῆμα ἐτελεύτησαν, οἱ μὲν ἡμέρην μίαν ζήσαντες, οἱ δὲ ὀλίγῳ πλείνα χρόνον, πρὶν ἢ τὸν ἰητρὸν τῇ τέχνῃ πρὸς ἕκαστον νόσημα ἀνταγωνίσασθαι, γνόντα οὖν χρὴ . . . ἐκμανθάνειν.* — His locis cognitis jam judicium ferre poterimus de verbis quae leguntur de vict. acut. partis spuriae §. 16 (I, 399): *ὁκόσοισι δὲ ἐν πυρετοῖσι κοιλίη ὑγρὴ καὶ γνώμη τεταραγμένη, καὶ οἱ πολλοὶ τῶν τοιούτων τὰς κροκύδας ἀφαιρέουσι καὶ τὰς ῥῖνας σκάλλουσι καὶ κατὰ βραχὺ μὲν ἀποκρίνονται τὸ ἐρωτώμενον, αὐτοὶ δὲ ἐφ᾽ ἑωυτῶν οὐδὲν λέγουσι κατηρτημένον, δοκέει οὖν μοι τὰ τοιάδε μελαγχολικὰ εἶναι,*

quam vulgatam loci scripturam Ermerinsius defendit contra Littréum, qui vetustissimi codicis auctoritate particulam *καί* ante *οἱ πολλοί* omittit. Ermerinsius in adnotatione: »Mihi *καί* non neglegendum videtur, inquit, nam *καὶ οἱ πολλοὶ* — *κατηρτημένον* una cum superioribus protasin efficiunt sententiae, cujus apodosis est in verbis *δοκέει οὖν μοι* — *εἶναι*. Structura ejusmodi bene Graeca neque rara, cf. Matthiae Gr. Gr. §. 472, 3, p. 881. Propter protasin longiorem in apodosin *οὖν* intulit, quod itidem frequentis usus in graeca oratione.« Sed quam dura haec constructio sit, hoc loco cum illis, quos modo transscripsi, comparato, per se apparet. Quae si acciperetur, subjectum intra protasin mutaretur, id quod sane molestum est, quare scripturam codices antiquissimi praefero, verbis *ὁκόσοισι δὲ* — *τεταραγμένη* protasin contineri existimans, proximis apodosin. Neque etiamsi omnes codices illud *καί* exhiberent, quidquam impediret, quominus eodem modo verba inter protasin et apodosin distribueremus, cum non simpliciter copulet, sed vi intentionis ac gradationis praeditum sit. Itaque hoc exemplum ad usum particulae *οὖν* in apodosi demonstrandum proferri nequit, sed *οὖν* novum quid addit, quod e prioribus concluditur, ita ut cum Latinorum vocula igitur comparari possit. Namque hic usus, quem Hartung, part. graec. II, p. 18 non inepte epilogistischen Gebrauch vocat, et in his libris et apud alios frequentissimus est maximeque invenitur, ubi copiosae expositioni brevis sententia adjicitur, quae ex his efficitur. Ita auctor partis spuriae libri, qui est de victu acut. §. 13 (I, 398) postquam de corporis refrigeratione in febribus satis multa verba fecit, hunc in modum concludit: *κατὰ τόνδε οὖν τὸν χρόνον ἡ κεφαλὴ καὶ ὁ θώρηξ κατέψυκται αὐτῶν*. Neque tamen h. l. hunc usum amplius illustrare opus est, cum et vulgaris sit et de quibus exemplis supra in initio hujus de particula *οὖν* commentationis disserui, eadem huc quoque referre possis. Hoc solum addo, particula *οὖν* hos medicos maxime usos esse, ubi quid, expositione quadam facta, praecipitur, quare post adjectiva verbalia in *εον* terminantia, aut post impersonalia *χρή*, *δεῖ*, aut ubi haec ad infinitivum supplenda sunt, persaepe invenitur, ut Aphorism. I, 5 (II, 1243)

ibid. §. 14 (II, 1243), Prognost. §. 35 (I, 43), de humorr. §. 13 (I, 50), Epid. II, 6, 13 (II, 1053), de victu salubri §§. 1 (I, 337), 2 (I, 337), 5 (I, 339), aliis locis permultis.

De particula *οὖν* in interrogationibus fere idem dicendum est, quod supra de particula *δή* pronuntiavimus. Iterum e libro, qui inscribitur lex, de arte, de vet. med. exemplum notamus quod exstat in §. 21 (I, 9) ubi legis: *Τῷ δ'εὑρήματι τούτῳ καὶ ζητήματι τί οὖν ὄνομα δικαιότερον ἄν τίς θείη ἢ ἰητρικήν;* Praeterea invenitur *πῶς οὖν* de fractis §. 25 (I, 767), *ἄρ' οὖν* ibid. §. 59 (I, 788), De loco e libri, qui est de flatibus, §. 12, ubi nonnulli codices praebent *διὰ τί οὖν* cf. supra. s. v. *δή*, p. 75.

Οὖν inter praepositionem et verbum in tmesi collocatum, quod prosarii Attici fugiunt [1]) (cf. Klotz ad Devar. p. 721), apud Herodotum vero non raro usurpatur (cf. Hartung, part. graecae. II, p. 18. Rost, l. l. p. 15), non invenitur in his libris de medicina scriptis, exceptis eis, qui sunt de morbis et de affectionibus, sed ex his varia exempla afferre possum. Cum autem in nonnullis horum scriptura, in qua tmesis apparet, tantum codice *θ*, cui in verbis horum librorum tractandis sine dubio non parva fides tribuenda est, praebeatur, etiam in his hanc scripturam genuinam esse verisimillimum est, ut intellegitur ex eis quae disputavit Ermerinsius prolegg. vol. II, p. LVIII. Atque inter omnes praepositiones *διά* frequentissime per particulam a suo verbo revellitur in certis elocutionibus. Legimus enim *δὲ οὖν ἔφθειρε:* de morb. I, 15 (I, 452), ibid. §. 18 (I, 453), §. 22 (I, 457), *δι' οὖν ἐφθάρησαν:* ibid. §§. 21 (I, 456) et 14 (I, 451), deinde de affect. §. 20 (I, 511). Accedit *δὲ οὖν ἐκίνησε*, quod in ejusdem libri §. 30 (I, 524) legis. Sequitur *ἐπί*, quod bis ita usurpatur in elocutione *ἐπ' οὖν ἔλαβε*, quam legis de morbis II, §. 27 (I, 470) et §. 40 (I, 473). Reliquarum praepositionum quae sunt *ἐξ*, *ἐς*, *ὑπό*, *κατά*, *ἀπό*, *μετά* singula exstant exempla. Legis enim de morb. I, 8 (I, 449) *ἐξ οὖν ἔμεσε*, ibid. §. 20 (I, 455) *μετ' οὖν ἔστη;* de morbis III, 16 (I, 496) *ἐς οὖν ἐρετριάδα γῆν*, de morb. II, 12 (I, 464) *ἐνίοτε δὲ ὑπ'*

---

1) Apud Aristophanem semel exstat Ran. 1046.

οὖν ἔστρεφε ἡ νοῦσος. ibid. §. 50 (I, 478) *ἔπειτα καὶ πυρετοὶ ἰσχυροὶ ἐπιγενόμενοι κατ᾽ οὖν ἔκτειναν*. ibid. §. 51 (I, 479): *ἀπ᾽ οὖν ὤλετο.* Sed vide modo quantopere etiam hac re hi pauci libri discrepent. Nam non modo quantus hic usus sit in libris qui sunt de morbis I et II, comparatis cum reliquis duobus, considerandum est, verum etiam mirandum est praepositionem *διά*, quae in libro I qui est de morbis quinquies in tmesi invenitur, neque in secundo neque in tertio usquam ita usurpatam esse. Neque hoc praetermittendum videtur, in multis horum locorum *οὖν* in apodosi positum esse, cui protasis per conjunctiones *ἤν*, *ὅταν*, *ὁκόταν* inducta praemittitur, cf. de morbis I, 15 (I, 452), 18 (I, 453), 21 (I, 456), II, 27 (I, 470), 51 (I, 479).

Οὖν cum relativo arcte conjunctum, cujus vim recte definire videtur Hartungius, cum l. l. p. 10 haec dicit: »Das Suffixum dieser Indefinitrelativa sagt immer aus, dass die Sache so gering und unscheinbar, so entfernt, unbekannt und unbeachtet sie nur immer sein möge genommen werde,« in libris, quos legi, rarissime invenitur.

Nam in libris, qui sunt de aëre aquis locis, de victu acutorum, in libris Epidem. I et III omnino nusquam *οὖν* relativum sequitur. De humorr. §. 14 (I, 50) *ὁκοιουτινος οὖν* legitur et in libro qui est de capitis vulneribus, semel *γοῦν* ita usurpatur legitur post pronomen relativum de qua re postea dicemus. Inter reliqua exempla, ubi *οὖν* relativo adjungitur, nullum est, quod huc referri possit, quia particula cum hoc non arcte cohaeret, sed totam sententiam e prioribus colligi indicat, ut lex, de arte, de vet. med. §. 11 (I, 7) *ὅκου οὖν οὐδὲν οὔτε ἐν τοῖσι ἀγαθοῖσι τῶν ἰητρῶν οὔτε ἐν τῇ ἰατρικῇ αὐτῇ ἀχρεῖόν ἐστι . . ., οὐκ ἔστι κτλ.* Prognost. §§. 38 (I, 44) et 40 (I, 44), quibus locis *ὡς οὖν* in constructione genitivorum absolutivorum invenitur, de morb. sacro §§. 18 (I, 309), 20 (I, 310) ubi *ὥσπερ οὖν* legitur.

Frequentius *οὖν* conjunctiones sequitur. Legis enim de aër. aqu. loc. §. 21 (I, 289) *εἰ οὖν*, de vict. acut. §. 68 (I, 395) *ἤν οὖν*, de morbis II, 20 (I, 468) *ἤν οὖν*, de vict. acut. §. 64 (I, 395) *ὅτε οὖν*, ibid. §. 31 (I, 389) *ὁκότε οὖν*, de humorr. §. 13 (I, 50) *ὅταν οὖν*, idem invenis his locis:

lex, de arte, de vet. med. §. 13 (I, 5), de morbis I, 30 (I, 460), II, 5 (I, 463) et 14 (I, 466), de cap. vuln. §. 20 (I, 907); deinde ὁκόταν οὖν his locis: de vict. acut. spur. §. 13 (I, 398), de morbis I, 14 (I, 451) et 24 (I, 457); III, 16 (I, 493); ἐπειδὰν οὖν semel legi de flatib. §. 14 (I, 300). Particulam οὖν his voculis ipsis non semper adnecti, sed ab eis etiam dirimi posse docet libri, qui est de locis in hom. §. 43 (I, 422), ubi verba sunt: ἢν κρατέῃ οὖν τὸ σῶμα, κτλ.

Jam videamus quibuscum aliis particulis οὖν in his scriptis jungi soleat. Atque cum voculae μὲν οὖν jam supra (p. 26) tractatae sint, nunc de particulis δ'οὖν primum dicamus. Neque tamen praemonere etiam hoc loco non possum, quanto simpliciora et harum particularum usu et universa duas particulas copulandi ratione scripta, quae Hippocratis nomine circumferuntur, se praestent, quam sermo Atticorum. Nam ne plures afferam, Platonem particulis δ' οὖν et ἀλλ' οὖν haud raro usum esse docet Ast, lex. Plat. I, p. 103 et 425. Neutram dicendi rationem Hippocrates usquam usurpavit, sed tantum ex libris, quos ad senem Coum referri non posse verisimile est, pauca exempla afferre possum. Legis e. c. de nat. hom. §. 2 (I, 225): εἰ ἓν ἦν ὥνθρωπος, οὐδέποτ' ἂν ἤλγεε οὐδὲ γὰρ ἂν ἦν ὑφ' ὅτου ἀλγήσειε ἓν ἐών, εἰ δ' οὖν καὶ ἀλγήσειε, ἀνάγκη καὶ τὸ ἰώμενον ἓν εἶναι, in quibus verbis δέ alterius sententiae rationem quodam modo a priore differre indicat, οὖν vero ad ea quae praecedunt spectans ex his sententiam deduci docet, non aliter quam apud alios scriptores. Eadem harum particularum ratio apparet his locis: Coaca 300 (I, 167), de fractis et articulis §. 57 (I, 785). Proxime ad hanc significationem accedit ἀλλ' οὖν, sed eo differt, quod ἀλλά graviorem inter sententias oppositionem efficit. Invenitur autem rarissime, ita ut idem exemplum, quod jam supra attuleram (p. 44) hic iterum describere cogar. Legis enim de fractis et articulis §. 62 (I, 790): εἰ δὲ μὴ τελέως ἱδρυνθείη (ἡ κληΐς), ἀλλ' οὖν τὸ ὑπερέχον γε τοῦ ὀστέου οὐ κάρτα ὀξὺ γίγνεται, ubi id quod e protasi colligitur, tanta fiducia pronuntiatur, ut οὖν sententiam simul confirmet.

Particulas καὶ — οὖν, quae in universo sermone graeco, nisi egregie fallor, raro inveniuntur, in his libris certe semel

vel bis exstare puto, de qua re dubitasse videtur Ermerinsius, cum in §. 20 libri, qui inscribitur lex, de arte, de vet. med. (I, 9), ubi ceteri editores omnes et codices exhibent: *καὶ διὰ ταῦτα οὖν οὐδὲν δεῖναι ὑποθέσιος*, particulam *οὖν* ejecit, quod cur ita fecerit, in adnotatione his verbis aperit: »aut *καί* aut *οὖν* abundat. Puto autem duplicem fuisse lectionem, alteram quam dedi, alteram *διὰ ταῦτα οὖν οὐδὲν δ. ὑ.*« Possumus sane altero utro carere, sed cum codices omnes conspirent, nihil mutandum mihi videtur, cum praesertim hic usus ab his libris non plane alienus sit. Legitur enim de morb. II, 53 (I, 479): *μετὰ δὲ πῦον πτύει καὶ οἷα ἕλκεος κρότωνα καὶ αἶτις βήξ, καὶ ἐρράγη οὖν τὸ αἷμα καὶ μετὰ τὸ πῦον παχύτερον πτύει,* quamquam hoc loco *καί* magis desideratur ad concinnitatem servandam, quae conspicitur in eo, quod singula membra per hanc copulam adjunguntur omnia. Similiora illi loco sunt verba, quae Hoogeveenius adscripsit ad Vigerum e Lucian. Dem. Encom. p. 920: *καὶ γὰρ οὖν ὑπογραφέας παρεστησάμην.* Tertium ex Hippocrate locum affero qui est de morbis II, 39 (I, 472): *Πυρετὸς λαμβάνει βληχρὸς καὶ τὴν κεφαλὴν βάρος ἔχει καὶ οἱ πυρετοὶ ἐπαύσαντο οὖν ἐνίοισι*, ubi magna codicum pars particulam *οὖν* exhibet.

Particulas *τ' οὖν* uno tantum loco vidi et in eo quidem Ermerinsii conjectura positas. Vir enim doctissimus scribit de locis in hom. §. 1 (I, 408): *Τὸ δὲ σῶμα αὐτὸ ἑωυτῷ τὠυτόν ἐστι καὶ ἐκ τῶν αὐτῶν ξύγκειται. ὁμοίως τ' οὖν ἐχόντων καὶ τὰ σμικρὰ αὐτοῦ καὶ τὰ μεγάλα, καὶ τὰ κάτω καὶ τὰ ἄνω* pro *δὲ οὐκ*, quod vulgo legitur (*δ' οὐκ* cod. A.) et satis intellegi potest, id quod Ermerinsius ipse cofitetur, cum in adnotatione dicit: »Quodsi *ὁμοίως ἔχειν* hic referatur ad externam formam partium, potuit scriptor vulgatam dare.« Quae quum ita sint neque illa conjectura aliis exemplis confirmetur, num Ermerinsius recte de hoc loco judicaverit, dubitari potest.

Satis multis locis *οὖν* cum particula *γέ* conjungitur et ita quidem, ut hae duae particulae unam vocem *γοῦν* efficiant, nisi alio verbo interposito vel pluribus sejunguntur. Illud semel jam supra (cf. p. 82) in libro qui est de cap.

vulneribus deprehendimus post pronomen indefinitum, in quem locum verba Hartungii in eadem pagina adscripta quadrare vidimus. Sed universam harum particularum vim, qualis sit, Bäumleinius, part. graec. p. 188 his verbis apte definit: Aus dem Zusammentreffen der beiden Elemente *γέ* und *οὖν*, deren erstes einen Punkt, ausgeschieden von dem Uebrigen, und von allem Anderen abgesehen, hervorhebt, während *οὖν* im Allgemeinen dient das Vorangehende zu bestätigen, entsteht der Gebrauch des aus beiden verwachsenen *γοῦν*, zu Bestätigung des Vorhergehenden einen besonders treffenden Beleg zu geben oder einen Beleg, in welchem jedenfalls oder wenigstens die vorangehende Aussage sich bewährt, cf. Epid. II, 3, 8 (II, 1027): *Τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα μετὰ κρίσιν ὑποστροφώδεα. Τὸ γοῦν πρῶτον σπληνὸς ἔπαρσις, ἢν μὴ ἐς ἄρθρα τελευτήσῃ ἢ αἱμοῤῥαγίη γένηται — ἢ ὑποχονδρίου διξιοῦ ἔντασις, ἢν μὴ διεξοδεύσῃ οὖρα. αὕτη γὰρ ἡ ἐγκατάλειψις ἀμφοῖν καὶ αἱ ὑποστροφαί*. ibid. I, 5 (II, 997), de victu acut. §. 35 (I, 389), lex, de arte, de vet. med. §§. 22 (I, 10) et 23 (I, 10) de morb. sacro §. 4 (I, 303), de internn. affect. §§. 16 (I, 540), 24 (I, 545), 39 (I, 555). Hi fere certi loci ad usum harum particularum illustrandum afferri possunt.

Γὰρ οὖν, quibus particulis Attici frequenter utuntur (cf. Klotz ad Devar. p. 264 et exempla quae congessit G. Hermannus ad Vigerum p. 449, b) apud Hippocratem tam raro invenitur ut praeter librum, qui est de victu acutorum, nullus sit, in quo legas, nisi cum his vocem *τοιγαροῦν* comparari velis, quae legitur lex, de arte, de vet. med. §. 31 (I, 12). Sed *γὰρ οὖν* in illo libro bis exstat, cf. §. 50 (I, 392): *ὁ μὲν γλυκὺς (οἶνος) ἧσσόν ἐστι καρηβαρικὸς τοῦ οἰνώδεος καὶ ἧσσον φρενῶν ἁπτόμενος καὶ διαχωρητικώτερος δή τι τοῦ ἑτέρου κατὰ τὸ ἔντερον, μεγαλόσπλαγχνος δὲ σπληνὸς καὶ ἥπατος. οὐκ ἐπιτήδειος δὲ οὐδὲ τοῖσι πικροχόλοισι. καὶ γὰρ οὖν καὶ διψώδης τοῖσί γε τοιούτοισί ἐστι* et paulo infra: *καὶ γὰρ οὖν ἧσσον οὗτος διουρητικὸς γίγνεται.* Quorum exemplorum prius accuratius transscripsi, quo melius appareat, particulam *οὖν*, vocula *γάρ* ad ea quae proxime antecedunt spectante, ex eis quae ante haec dicta sunt, rem colligi indi-

care ideoque suam propriam vim retinere, id quod non minus fit, ubi οὔκ ουν invenitur, sive οὐκ et οὖν in unam vocem comprehenduntur, ut lex, de arte, de vet. med. §. 16 (I, 7), de morbis I, 16 (I, 453) sive alia vox interjecta est, ut lex, de arte, de vet. med. §. 32 (I, 32) ubi legis οὐκ ἄν οὖν.

Restat ut paucis commemorem, in quibusdam horum librorum formam particulae vulgarem et formam doricam, quae est ὦν promiscue usurpari. Haec enim exstat his locis: Lex, de arte, de vet. med. §§. 4 (I, 1) et 13 (I, 5), Prognost. §. 47 (I, 46) de vict. acut. spur. §. 21 (I, 399).

Particula γέ, de qua quid singuli grammatici senserint, paucis complectitur Bäumleinius, part. graec. p. 53 et 54, in nullo librorum hippocraticorum quos legi, deest[1]). Verum tamen duo ceteros omnes hujus particulae frequentatione longe superant: liber, qui est de victu acutorum et qui inscribitur lex, de arte, de vetere medicina, quos etiam aliarum particularum usu mirum quantum inter se conspirare, ab aliis autem differre jamjam animadvertimus. In horum enim utroque γέ circiter quinquies et tricies invenitur, in libro de aëre aquis locis, ut vere hippocraticos libros conferam, vix quinquies, in libro, qui est de capitis vulneribus, sexies exstat.

Hanc igitur particulam paonominibus, ut de his primum dicam, adnecti notum est[2]). Quod si fit, haec aliis quibusdam rebus opponuntur, ut aliquid pronuntietur, quod ad ea maxime valet, sive idem ad alias res valet sive non. Sic dicit scriptor libri, qui est de morbo sacro, §. 20 (I, 309): οὐδὲ οἶδα ἔ γ ω γ ε τίνα δύναμιν ἔχουσι αἱ φρένες, suimet ipsius ignorantiam professus, neque quid alii, harum rerum periti, forte judicent, curans. Eadem vis inest in dativo hujus pronominis, qui invenitur in locutionibus ἔμοιγε δοκέει,

1) Monendum tamen est, in descriptionibus aegrotorum libri Epid. I et III particulam nusquam inveniri.

2) Hic usus in libris, qui sunt de aëre aquis locis et de capitis vulneribus, non obvius est.

ἔμοιγε δοκέουσι, ut de morbo sacro §§. 3 (I, 302) et 4 (I, 302) de nat. hom. §. 1 (I, 224) aliis locis. Oppositionem quandam ut dixi, in ejusmodi sententiis latere, ex qua vulgaris particulae vis, qua notio effertur, nata est, pulcherrime ex iis locis apparet, ubi *γέ* pronomini quod est *αὐτός* adnectitur. Exemplo sint verba, quae legis de vict. acut §. 37 (I, 389): *ἢ αὐτός γε ὁ ἄρτος θερμὸς βρωθεὶς οἵην δίψαν παρέχει κτλ.*, ubi postquam quantas molestias maza eis ferat, qui pane uti consueverint, quantas autem hic hominibus mazae adsuetis, expositum est, panem ipsum ab his separatum considerat, eumque etiam per se diversa posse efficere demonstrat. Eadem ratione (cf. Naegelsbach ad Il. *Γ*, 143 et 178) pronominis demonstrativi vis accessa particula acuitur, cf. lex, de arte, de vet. med. §§. 10 (I, 3) et 36 (I, 16) *τοῦτό γε*, ibid §. 33 (I, 14) *ἐκεῖνό γε*, cf. de fractis et artic. §. 60 (I, 789). Deinde in sententiis relativis pronominis relativae vim prorsus in eundem modum auget, cf. de vict. acut. §. 13 (I, 385) *μάλιστα δὲ κρίσιος ὑπερβολῆς δύο ἡμερέων, οἷσί γε ἢ πεμπταίοισι ἢ ἑβδομαίοισι . . δοκέει κρίνεσθαι·* de nat. hom. §. 1 (I, 224) *ἅ γε*. Sed, ut in his exemplis, ita in aliis, ubi *γέ* cum pronominibus relativis conjungitur, simul alia vis in particula inest; cum enim pronomen efferat, totam sententiam ad quam hoc pertinet, fiducia quadam pronuntiari indicat. Maxime igitur post relativum ponitur, ubi de hoc quid pronunciatur, quod antea jam dictum est ideoque majore vi repetitur, nisi ad verbum, sane ad sensum. Quid velim, fore ut perspicuum sit spero ex his verbis, quae inveniuntur de natura hom. §. 1 (I, 224): *λέγει δ' αὐτῶν ὁ μέν τις φάσκων ἠέρα τοῦτο εἶναι, ὁ δὲ πῦρ, ὁ δὲ ὕδωρ, ὁ δὲ γῆν, καὶ ἐπιλέγει ἕκαστος τῷ ἑωυτοῦ λόγῳ μαρτύριά τε καὶ τεκμήρια, ἅ γέ ἐστι οὐδέν.* Loquitur enim scriptor libri de eis, qui et cetera omnia et hominem unum esse volunt, sive hoc, sive illud, atque de horum argumentis illud dicit: *ἅ γέ ἐστι οὐδέν.* Haec verba vi quadam et fiducia proferuntur, quasi notum ac certum sit id quod scriptor existimat, ut nos dicimus: Beweise welche e b e n von keiner Bedeutung sind. Haec tam certa proferre potuit, quod jam paullo ante de istorum hominum doctrina idem fere dixit: *Δοκέουσι δέ μοι*

οὐκ ὀρθῶς γιγνώσκειν οἱ τὰ τοιαῦτα λέγοντες. Praeclarum hujus usus exemplum est lex, de arte, de vet. med. §. 7 (I, 3): *Γιγνώσκεται τοίνυν δεδειγμένων εἴδεα τῶν τεχνέων καὶ οὐδεμία ἐστὶ ἥ γε ἔκ τινος εἴδεος οὐχ ὁρᾶται.* His verbis repetitionem sive potius recapitulationem quandam effici jam *τοίνυν* significat. Et profecto paullo ante copiosius quid non sit, oculis cerni non posse, exposuit his verbis: *Τῶν γε μὴ ἐόντων τινα ἄν τις οὐσίην θεησάμενος ἀπαγγείλειε ὡς ἔστι; εἰ γὰρ δὴ ἔστι γ'ἰδεῖν τὰ μὴ ἐόντα, ὥσπερ τὰ ἐόντα οὐκ οἶδ' ὅπως ἄν τις αὐτὰ μὴ νομίσειε μὴ ἐόντα ἅ γε εἴη καὶ ὀφθαλμοῖσι ἰδεῖν καὶ γνώμῃ νοῆσαι, ὡς ἔστι*, in quibus verbis elocutio *ἅ γε εἴη ὀφθαλμοῖσι ἰδεῖν* nihil aliud est, quam priora verba *εἰ γὰρ δὴ ἔστι γ' ἰδεῖν* fortius iterata. Similiter usurpatur *ὅσα γε* de affection. §. 61 (I, 530), *οἷσί γε* de nat. hom. §. 10 (I, 228). Illud conjectura scripsit Ermerinsius in libri, qui est de victu acutorum, parte spuria, §. 49 (I, 404), ubi vulgo legitur: *Αἴγεια δὲ κρέα ὅσα τε ἐν βοείοισι ἔνι, κακὰ πάντα ἔχει, τήν τε ἀπεψίην κτλ.* quae mutatio ab usu quidem particulae non abhorret, tamen num necassaria sit dubito, cum in eo nihil offendendum sit, quod singula sententiae membra per particulas *τὲ . . τέ* conjunguntur, quarum prior in enunciato relativo collocatur, cum hoc verbis ad quae refertur praecedat. Quae quum ita sint, particulam *τέ* post *ὅσα*, quam omnes codices exhibent, servandam esse censeo.

Non raro *γέ* intercedit inter articulum et substantivum, non ut illum solum augeat, sed totius notionis efferendae causa, unde illud Hartungii: die Partikel tritt öfter zwischen Artikel und Nomen, s t a t t hinter dieses, (cf. part. graec. I, 414). Sed mirum est, hunc usum non omnibus his medicorum libris communem esse, sed ad certos quosdam tantummodo pertinere. Inter hos vero ei, in quibus pauca vel singula exempla inveniuntur distinguendi videntur ab eis, quorum hic usus proprius est. Atque iterum in hac re affinitate quadam videmus colligari librum, qui est de victu acutorum et illum qui inscribitur, lex, de arte, de vetere medicina. Nam in utroque illud haud raro invenitur.

Inveniuntur enim haec exempla: de vict. acut. §§. 18 (I, 386) *τό γε πάμπαν*, §. 28 *τοῖσί γε ὑγιαίνουσι* (infra respon-

dent verba: ἔν γε τῇσι νούσοισι) §. 50 (I, 392) τοῖσί γε τοιούτοισι, lex, de arte, de vet. med. §. 7 (I, 3) τῶν γε μὴ ἐόντων, §. 21 (I, 9) τήν γε ἀρχήν, §. 22 (I, 9) τό γε εὕρημα, §. 35 (I, 15) τό γε καῦμα. Accedunt in utroque libro compluria alia exempla, in quibus γέ cum alia particula conjunctum post articulum inseritur, de quibus postea verba faciemus. Rarius hoc reperitur in his libris: de aëre aquis locis, cf. §. 2 (I, 281) [1]), Epid. I, cf. §. 2 (II, 939 et 941), liber Aphorismorum, cf. sect. 5, 23 (II, 1253), liber qui est de fractis, cf. §. 11 (I, 759). Ad eandem classem fortasse pertinet liber, qui est de natura hominis, ubi in verbis τά γε διαιτήματα — cf. §. 10 (I, 228) — solus Galenus particulam servat, et recte quidem, ut mihi videtur. Sed cum de hac re difficillimum sit ad dijudicandum, paucis, unde illud concludi liceat exponam. Magnopere enim in hoc libro et scriptura vulgata et codices fluctuant, si usum particulae respexeris, ita ut multis locis, quid verum sit, vix discerni possit. Hoc maxime valet in illam consuetudinem, etiam apud alios scriptores obviam [2]), qua numeralia particula γέ efferuntur. In illo libro utrum legendum sit ἕν γέ τι an ἕν τι satis multis locis dubium videtur, paucis ἕν γέ τι certum est et codicum consensu confirmatum, ut in §. 3 (I, 225) ubi legis ἕν γ' ἐὸν τι. Quae quum ita sint quoniam Galenus aliquoties solus in eadem locutione servat particulam, hanc recipiendam esse puto, ut fecerunt Littréus et Ermerinsius in §. 2 (I, 225) ubi scribunt: εἰκὸς γὰρ εἶναι μίαν γέ τινα ὥρην. Atque cum in §§. 7 (ἕν τί γε [I, 227]) et 10 (ἕν γέ τι [I, 228]) etiam pars codicum particulam praebeat, harum locutionum in hac libro γέ proprium esse videtur. Ut igitur in §. 2 Galenus solus genuinam scripturam servavit, ita etiam illo loco τά γε διαιτήματα Galeno auctore scribendum videtur.

---

1) Altero loco, qui est in §. 30 (I, 293) Ermerinsius ipse particulam intulit scribens: Ταῦτα δὲ τοῖσί γε Σκύθῃσι πρόςεστι καὶ εὐνουχοειδέστατοί εἰσι ἀνθρώπων, quod sane non displicet, nisi rectius pro γέ Coraës in priore editione τέ. Nam scriptura vulgaris, quae est: Ταῦτα δὲ τοῖσι δὲ Σκύθῃσι nullo pacto ferri potest.

2) cf. Plat. Prot. 360, E: ἕν γ', ἔφην ἐγώ, μόνον ἐρόμενος ἔτι σοι. Phaedr. 263, D: ὑπολαβεῖν τὸν Ἔρωτα ἕν τι τῶν ὄντων.

Sed eo, unde haec disputatio profecta est, jam redeamus. Videramus igitur, usum particulae *γέ* inter articulum et substantivum positae ad certos quosdam libros pertinere, non ad omnes. Particula post substantivum posita, cui articulus praecedit etiam rarius exstat, atque ut statim dicam, nusquam invenitur, nisi in duobus libris, qui sunt de fractis et lex, de arte, de vetere medicina. In illius §. 62 (I, 790) legis *τὸ ὑπερέχον γε*, in hoc haec exstant exempla: §. 27 (I, 11) *οἱ πολλοί γε*, §. 40 (I, 18): *ὁ γλυκύς γε*, ubi tamen *χυμός* intellegendum est. Ad hoc dicendi genus ab illo discernendum nihil habeo, quod afferam praeter id quod Klotzius ad Devar. II, p. 328 dicit: particulam *γέ* eam efferre vocem, quam excipiat in verborum ordine. Deinde non aliter quam apud alios scriptores Graecos (cf. Klotz. ad Devar. p. 326, Ast, lex. Plat. I, p. 170 sqq.) post praepositiones *γέ* collocari solet. Sed cum inter duas hujus rei rationes diversas discernendum sit, primum eos locos commemorabimus, ubi *γέ* praepositionem inter et casum qui illam sequitur, interjecta est: de cap. vuln. §. 16 (I, 904): *Ἀλλὰ χρὴ εἰ κατὰ τὰς ῥαφὰς τὸ τρῶμα γένοιτο καὶ πρός γε τὸ ὀστέον καὶ ἐς τὸ ὀστέον στηρίξειε τὸ βέλος*, §. 31 (I, 913): *πρός γε τὴν μήνιγγα μη ἀφικνέεσθαι, — ἀλλ' ἐπιλιπεῖν τι τοῦ ὀστέου λεπτόν.* Articuli omissi exemplum est in §. 5 (I, 898): *ὁ θάνατος οὐ γίγνεται κατά γε δίκην, οὐδ' ἢν γένηται*, ubi vis particulae sentitur, sententia ita expleta: *οὐ γίγνεται κατά γε δίκην, ἀλλὰ παρὰ δίκην.* Apparet igitur, ubi particulam ita collocatam invenis, summam vim inesse in praepositione, quam sequitur, quippe quae alii praepositioni opposita sit. — Jam igitur judicium ferre poterimus de his verbis, quae exstant de aër. aqu. loc. §. 29 (I, 293): *οἱ μὲν οὖν ἐπιχώριοι σέβονται τούτους τοὺς ἀνθρώπους* (dicit eos Scytharum qui generandi facultatem perdiderunt) *καὶ προςκυνέουσι, δεδοικότες περί τε ὠντέων.* De ratione, qua corruptela, qua extrema verba laborant, sananda sit, homines docti dissentiunt. Primus enim Coraës scripsit: *περὶ ἑωυτέων*, Ermerinsius vero e scriptura vulgata *περί τε ὠντέων* eliciendum esse censuit *περί γε ἑωυτῶν*, Cobetus denique (cf. Mnemosyne, vol. IX, p. 96 et Ermerins. vol. II, praef. p. X) rursus illud *γέ* delevit. Neque

dubium est, quin recte fecerit vir doctus, nam nihil est cur praepositio efferatur, sed si particula inferenda esset, sane praestaret legere: περὶ ἑωυτῶν γε, ut pronomen prioribus verbis τούτους τοὺς ἀνθρώπους opponeretur. Sed ne hoc quidem necessarium est. — Reliqua hujus generis exempla, quae inveni, haec sunt: de vict. acut. §. 8 (I, 384) ἔν γε τοῖσι ὀξέσι τῶν νοσημάτων, ibid. κατά γε τὸ τοιόνδε, §. 28 (I, 388) ἔν γε τῇσι νούσοισι, §. 27 (I, 388) ἔκ γε τῆς μεταβολῆς, in partis spuriae §. 9 (I, 397) διά γε τὴν ξηρασίην, Epid. I, 1 (I, 938) εἴς γε χειμῶνα. Prognost. §. 47 (I, 46) ἔν γε τοῖσι αὐτοῖσι χωρίοισι, de locis in hom. §. 45 (I, 423) ξύν γε τῇ τύχῃ. Rarius fit ut particula post eam vocem collocetur, quae cum praepositione conjungitur, ut de aër. aqu. loc. §. 9 (I, 284): δι᾽ ἀπειρίην γε, lex, de arte, de vet. med. §. 16 (I, 7) οὔκουν ἐν ἄλλῃ γε δημιουργίῃ.

Jam videamus, quibus cum aliis particulis γέ in his medicorum libris conjunctum inveniatur. Atque primum quidem non raro in sententiis conditionalibus voculis ἤν et εἰ adnectitur illi tamen multo frequentius, ut de vict. acut. §. 65 (I, 395) ἤν γε μὴ οὕτω.δέῃ, lex, de arte, de vet. med. §. 31 (I, 13): ἤν γε μὴ ᾖ et §. 34 (I, 14) ἤν γε μὴ παγῇ. Testatur igitur etiam horum exemplorum similitudo duorum librorum affinitatem, de qua jam supra monui. Praeterea ἤν γε invenitur: de internn. affect. §. 50 (I, 560). In Prognostico vero, ubicunque particulam ἤν legis, adnexa est voculae ἤν ut in §. 40 (I, 44), aut certe praecedit haec vox, alia voce interjecta, ut in §. 22 (I, 41): ἤν αὐτή γε, cujus generis alterum exemplum exstat de vict. acut. §. 57 (I, 393), ubi legitur ἤν τυγχάνῃ γε. — Voculam εἰ sequitur γέ in libri, qui inscribitur lex, de arte, de vet. medicina §. 7 (I, 3). Particulae μέν γε et δέ γε, de quibus disputavit Klotzius ad Devar. p. 333 et 335, raro inveniuntur. Illud bis legitur: de vict. acut. §§. 11 (I, 385): καὶ τοῖσι μέν γε εἰθισμένοισι δὶς σιτέεσθαι, et 28 (I, 388) καὶ τοὺς μέν γε μὴ μεμαθηκότας, hoc, quod apud Platonem minime rarum est (cf. Ast. lex. plat. I, 424), bis quoque inveni: lex, de arte, de vet. med. §§. 21 (I, 9) τὰ δέ γε διαιτήματα et 39 (I, 18) τὰ δέ γε στερεά. Quod Klotzius dicit, particulas ita conjunctas esse,

ut *γέ* per se nihil faciat ad alteram particulam, recte dicit, quod autem docuit, spectare eam ad vocem praecedentem, in qua *μέν* aut *δέ* quoque nitantur, quo modo hoc in exempla ex Hippocrate adlata quadret, non video. Nam e. c. in verbis *τοὺς μέν γε μὴ μεμαθηκότας*, particula non ad articulam spectat, sed ad totam notionem *τοὺς μὴ μεμαθηκότας*, quare quod de particulis *μέντοι γε* sentit (cf. p. 664) *γέ* particulam ita *μέντοι* particulae adhaerescere, ut ad totam enunciationem faciat, idem fere in particulas *μέν γε* et *δέ γε* valet. Invenitur autem *μέντοι γε*: de vict. acut §§. 22 (I, 387), 27 (I, 388), 57 (I, 393). Deinde *τοί γε* de fractis §. 16 (I, 763), *καίτοι γε* de vict. acut. §§. 29 (I, 388) et 50 (I, 392), Epid. III, sect. 3, 14 (II, 1091), de fract. §. 16 (I, 763). Cum his particulis *γέ* ita conjungi solet in his libris, ut alia vox non intercedat. Contrarium fit, ubi *δή* particulae *γέ* praecedit. Testimonia sunt: lex, de arte, de vet. med. §. 7 (I, 3) *εἰ γὰρ δὴ ἐστί γε*, de morbo sacro §. 4 (I, 303): *εἰ δὴ θεός γε*.

Frequentius particulam *καί* ita sequitur *γέ* ut verbum interponi soleat, ut de cap. vuln. §. 13 (I, 902) *καὶ μάλιστά γε*; de nat hom. §. 3 (I, 225), de morbis I, §§. 5 (I, 448) et 34 (I, 461). Saepissime hoc invenitur in libro, qui inscriptus est lex, de arte, de vetere medicina, cf. §§. 8 (I, 3), 10 (I, 4), 11 (I, 4), 12 (I, 4), 34 (I, 14).

Exempla, ubi *καί γε* particulas, alteram pone alteram, invenias, non habeo, quae afferam, praeter illa verba, quae jam Klotzius ad Devar. p. 318 e libri, qui est de septisemestri partu, §. 9 (I, 258) exscripsit. De quo usu cum ab hominibus doctis multum disputatum sit, utrum apud veteres auctores fuerit, ad Klotzii, qui apud antiquos has particulas ita conjunctas esse credit, sententiam comprobandam moneo, *οὐδέ γε* aliquoties exstare in libro, qui inscriptus est lex, de arte, de vetere medicina, cf. §§. 36 (I, 16): *ἔπει ἄλλῳ γε οὐδενὶ τὸ θερμὸν μιχθὲν παύσεται τῆς θερμῆς ἢ τῷ ψυχρῷ, οὐδέ γε πάλιν τὸ ψυχρὸν ἢ τῷ θερμῷ*, deinde §. 38 (I, 17): *οὐδέποτε γὰρ ἡ αὐτὴ κακοπάθεια τούτων οὐδετέρου, οὐδέ γε ἀπὸ πληρώσιος οὐδέ γε ἀπὸ βρώματος.*

Particulae *ἠρά* (*ἀρά*) *γε* non inveniuntur nisi in Coacis

et in libro Praedictorum I, sed in utroque libro istas interrogationes a recentiore interpolatore additas esse probabiliter demonstravit Ermerinsius vol. I, prolegg. p. XIX.

Γὲ δή, quae particulae e. c. apud Platonem conjunguntur ut Theaed. 156, B: καὶ ἡδοναί γε δὴ καὶ λύπαι κτλ., in scriptis medicorum nusquam legitur. Conjunctiones, quibus γέ adnectitur, hae inveniuntur: ὅτι γε (cod. A): lex, de arte, de vet. med. §. 21 (I, 9), ὅτε γε de nat. hom. §. 3 (I, 225).

Exemplum ubi γέ in una eademque sententia bis ponitur est lex, de arte, de vet. med. §. 37 (I, 17), ubi legis: καὶ οἶσί γε τῶν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τοῦτο μάλιστά γε δύναταί οἴδαμεν, cf. Plat. Gorg. 302, A.

Particulam μήν, quam affirmativam esse satis constat, in libris, qui sunt de aëre aquis locis et de capitis vulneribus, in libris Epidemiorum I et III, nusquam inveniri ante omnia dicendum est. Neque in Aphorismorum ullo quidem eam legimus. Quo magis mirabile est, quod in libro, de victu acutorum, octies exstat. In libro Praedictorum I semel positum est οὐ μήν, sed in sententia, quae huic libro communis est cum Coaca 588 (I, 215) quare hoc loco, ubi in scriptura vulgata exciderunt illae voculae jam dudum ab editoribus recte restitutae sunt, cum ubi horum duorum librorum verba congruunt, utriusque scriptor ex eodem fonte hausisse videatur (Ermerins. vol. I. proll. p. XV, sqq.), neque usus particulae μήν a Coacis sit alienus. Sed universum particulae usum, qualis in his medicorum libris exstet, jam describere liceat.

Atque primum quidem μήν simpliciter in sententia affirmativa ponitur, ut de fractis §. 55 (I, 783): Πάνυ μὴν ἱκανῶς ἔχει καὶ περὶ μέγα ἕδος Θεσσαλικὸν ἀναγκάζειν. — Saepius autem in hac particula apparet vis quaedam adversativa, cum iis quae praecedunt, aliquid novum adjiciatur quod per particulam μήν graviter affirmatum oppositionem quandam

efficit, ut de vict. acut. §. 56 (I, 393): *Ἀτὰρ καὶ οἴνου λεπτοῦ καὶ ὀλιγοφόρου καὶ ἀνόδμου ᾗ μὲν ἰσχυρότερον, ᾗ δὲ ἀσθενέστερον (τὸ μελίκρητον). Μέγα μ ὴ ν διαφέρει καὶ οἴνου καὶ μέλιτος ἀκρητότης ἐς ἴσχυν ἀμφοῖν.* Addit igitur scriptor quasi se corrigens novam rem, qua prioris sententiae vis quodam modo coërceatur, quod cum particula *μήν* indicetur, huic significatio quaedam adversativa insit necesse est. Alia hujus generis exempla exstant in libri, qui est de fractis, §§. 27 (I, 769), 34 (I, 775), 62 (I, 790), 55 (I, 783). Haec particulae vis maxime apparet, ubi particulae *μέν* respondet, id quod tamen non fit, nisi cum particula *γε* conjungitur, atque simul in priore membro aut *μὲν οὖν* aut *μὲν δή* praecedit, quem usum proprium esse librorum qui sunt de victu acutorum et lex de arte, de vetere medicina jam snpra p. 6 et 9 vidimus, ubi exempla congesta sunt [1]. Quin etiam post vocem *ἔπειτα* particulae *δέ* (cf. p. 22) vicibus fungitur *μήν*, ut de fractis §. 62 (I, 790): *τὸ πρῶτον αἴσχιστον, ἔπειτα μὴν ἐπὶ ἧσσον γίγνεται.* Epid. II, sect. 3, 1 (II, 1020): *πρόσθεν δὲ οὐ κάρτα ἦσαν κωματώδεες . . . ἔπειτα μὴν ἀγρυπνίαι μᾶλλον.* Huic significationi proxime accedit *μήν* in sententiis negativis positum, ubi negationem ipsam, quam sequitur, maxime affert ut in verbis, quorum supra mentionem fecimus, quae haec sunt: *τὰ ναρκώδεα ἐν τοιούτοισι ἐκλυόμενα, δύσκολα, οὐ μὴν ὀλέθρια* — Coaca 588 (I, 215), Praedict. I, 120 (I, 77). Praeterea *οὐ μήν* ita usurpatum invenis his locis: Coac. 400 (I, 182) et 586 (I, 215), Epid. II, sect. 2, 8 (II, 1012) et 22 (II, 1015), sect. 3, 1 (II, 1020) sect. 3, 4 (II, 1023), lex, de arte, de vet. med. §§. 10 (I, 3), 13 (I, 5), 16 (I, 6) de fractis §. 17 (I, 764), Epid. IV, 25 (II, 1131) ubi Ermerinsius haec verba uncis inclusit: *ἴσως δὲ καὶ ἀποστάσιες ἐς ἄρθρα μᾶλλον, οὐ μὴν σάφα οἶδα.* Particulam *μήν* in ejusmodi sententiis ad significationem adversativam proxime accedere, certe ex hisce verbis videbis, quae jam

---

1) *Γὲ μήν*, non praemissa particula *μέν* legitur his locis: de vict. acut. §. 39 (I, 390) de humorr. §. 20 (I, 51), Epid. IV, 25 (II, 1131), Epid. VI, sect. 3, 23 (II, 1176), de fractis §§. 3 (I, 752), 36 (I, 775), 45 (I, 776), de offic medici §. 9 (I, 743).

exscripturus sum e libri, qui est de fractis §. 6 (I, 755) ubi legis: *Παχύτατον δὲ χρὴ εἶναι τὸν νάρθηκα, ἢ ἐξέσιη τὸ κάτηγμα, μὴ μὴν πολλῷ.* Praeter hunc locum nullum novi, ubi *μὴ μήν* inveniatur [1]).

Ubi praeterea *μήν* cum alia particula conjungitur, ejus vis primaria, quae est mere affirmativa, in aprico est, ut, ubi legis *ἀλλὰ μήν* de quibus particulis copiose disputavit Klotzius ad Devar. p. 61 sqq. Invenitur de fractis §. 16 (I, 763) et flatib. §. 3 (I, 296). Ad has particulas aliae accedunt, ut *καί*, quod loco adverbii positum vim gradationis habet, ut de victu acut. §. 30 (I, 388): *Ἀλλὰ μὴν καὶ οἱ μεμαθηκότες δὶς σιτέεσθαι τῆς ἡμέρης ἢν μὴ ἀριστήσωσι, ἀσθενέες εἰσί.* Saepius *γέ* accedit sed non nisi interposita una voce, quae hac particula effertur, ut de vict. acut. §. 28 (I, 388) *ἀλλὰ μὴν εὐκαταμαθητόν γέ ἐστι κτλ.*, de flatib. §. 3 (I, 296) *ἀλλὰ μήν ἐστί γε.* Atque ut in his locutionibus ita ubicunque *γέ* particulam *μήν* sequitur, una vox interjecta est, ut de vict. acut. §. 50 (I, 392) *οὐ μὴν πολέμιος γε* . Coaca 400 (I, 182) *οὐ μὴν παραλύονταί γε* . lex, de arte, de vet. med. §. 12 (I, 4) *καὶ μὴν πολύ γε.*

Particulas *καὶ μήν* (v. Klotz. ad Devar. p. 650) nusquam inveni, nisi in duobus libris. Primum in libri qui est de flatib. §§. 3 (I, 296) et 12 (I, 299), tum vero in libri, qui est de internn. affect. §. 27 (I, 547) exemplum est locutionis *καὶ μὴν καί* (cf. Klotz. ad Devar. p. 652), in qua alterum *καί* vim habet intentionis.

Denique etiam voculae quae est *ἤ* particulam *μήν* adponi, id quod in universo sermone Graeco, nisi fallor, rarissime fit, testatur Epid. II, sect. 6, 31 (II, 1056), ubi

---

1) Particulae *οὐ μὴν ἀλλά* (cf. Devarius de graecae ling. part. p. 180) semel exstant de fractis et articulis §. 55 (I, 783), ubi haec legis: *Ἀτὰρ καὶ τὰ παλαιὰ μούνη αὕτη τῶν ἐμβολέων οἵη τε ἐμβιβάσαι, ἢν μὴ ἤδη ὑπο χρόνου σὰρξ μὲν ἐπεληλύθῃ ἐπὶ τὴν κοτύλην, ἡ δὲ κεφαλὴ τοῦ βραχίονος ἤδη τρίβον ἑωυτῇ πεποιημένη ἔῃ ἐν τῷ χωρίῳ, ἵνα ἐξεκλίθη, οὐ μὴν ἀλλ' ἐμβάλλειν γάρ μοι δοκέει καὶ οὕτω πεπαλαιωμένον ἔκπτωμα τοῦ βραχίονος.* In ejusmodi elocutionibus post particulam *μήν* e prioribus verbum intelligendum esse, notissima res est, cf. Hartung part. graec. II, p. 48.

legitur: ἦ μὴν ναρκίσσου δύο ἢ τρεῖς κεφαλὰς ἐπὶ τῷ δείπνῳ ἐσθιέτω.

His fere finibus usus particulae μήν in scriptis, quae Hippocratis nomine vulgo circumferuntur, circumscribitur qui non modo exiguus est, aliis particulis consideratis, verum etiam in quibusdam libris omni varietate caret, ut in Coacis, ubi μήν non invenitur, nisi cum particula οὐ conjunctum.

Excursus.

Quamquam in singularum particularum usu describendo, ubi libri discrepent nunquam reticui, tamen h. l. gravissima paucis non comprehendere non possum.

Inter omnes igitur libros quos perlustravimus, eos qui sunt de aëre aqua locis et de capitis vulneribus maxime congruere vidimus. Pauca quidem discrimina intercedunt, haud parva. Nam duas particulas copulandi usus in si hoc illum respicis, valde recedit et fere evanescit (cf. *οὖν* p. 27, *ἀλλὰ γάρ* p. 44), particulae *μέν* ubique constanter particula *δέ* opposita est (cf. p. 3 sqq.), deinde membrorum copulatio per particulas *τὲ* . . *τέ* fere evitatur (cf. p. 64). At ceterum scribendi similitudinem in utroque tantam tamque apertam animadvertimus, ut opinionem eorum, qui utrumque eidem auctori tribuunt, minime impugnemus, sed ex illis nihil nisi hoc concludi existimemus: scribendi rationem in libro qui est de capitis vulneribus, esse simpliciorem et paullo concinniorem, quam in altero [1]).

Sed quanto ab his distat usu particularum ille tertius, qui et antiquorum et veterum consensu ipsius Hippocratis est, de qua re quod sciam, adhuc nemo dubitavit! Jam in dissertatione hic et illic eam discrepantiam significavi et nunc, quae maxima sunt, paucis comprehensa considerare operae pretium erit. Primum enim in hoc libro *μέν* solitarium com-

1) Petersenii, in indice schol. in gymn. Hamburgens. acad. habend. a. 1839, p. 26 de hoc libro verba haec sunt: Disscrendi ratio est illa a Platone Hippocrati tributa, scribendi genus concisius illud, quod Hippocratis adolescentis et viri fuisse conjecimus, cum provectiore aetate copiosius scripsisse videatur.

pluries deprehendimus, quod in libro, qui est de cap. vulneribus nusquam, in libro qui est de aëre aquis locis semel invenitur (cf. p. 4). Deinde in illo nihil est frequentius ratione opponendi per particulas μὲν . . μέντοι, μὲν . . ἀτάρ, μὲν . . . γὲ μήν (cf. p. 5 sqq.), quod in illis nusquam invenitur, uno loco excepto (de aër. aqu. l. §. 32 [I, 295]), quin etiam particula ἀτὰρ omnino in utroque libro deest, particula μέντοι in altero semel tantum exstat (cf. p. 4). Et simile discrimen usu particulae καίτοι observatur (cf. p. 46). Accedit quod μὲν δή, μέν γε, μέν τοι libri, qui est de victu acutor., propria sunt, (cf. p. 28 sqq.). Tum δὲ δή, δέ γε, γὰρ οὖν (cf. pp. 43, 42, 85) quarum particularum exempla idem liber obtulit, in illis duobus scriptis nusquam exstant. Denique videas, quanto latior sit usus particulae δή (cf. p. 69) in libro, qui est de victu acutorum, et quanto saepius cum aliis voculis conjungatur.

Quid ex tot tantisque discrepantiis, concludendum sit, equidem h. l. dijudicare non periclitor, sed quaestionibus postea accuratius instituendis atque hominibus doctis, qui in his magis exercitati sunt, permitto.

Hoc tamen constituendum mihi videtur, in libro, qui est de victu acutorum, usum particularum multo liberiorem et latiorem esse, et multo magis varium, quam in ceteris scriptis hippocraticis [1]), eumque librum in hac re optime comparari posse cum illo, qui inscribitur lex, de arte, de vetere medicina quem a simplicitate libri de capitis vulneribus scripti longissime recedere vidimus.

---

1) Hoc praeclare congruit cum eo, quod Petersenius l. l. p. 24 dicit: hunc librum serius scriptum esse, et multorum aliorum et ipsius auctoris sententias et libros priores, qui in eo spectentur, ostendere.

Emendationes.

1. De aëre aqu. loc. §. 21 (I, 289): *Τὸ παιδίον ὁκόταν γένηται τάχιστα, τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἁπαλὴν ἐοῦσαν μαλακοῦ ἐόντος ἀναπλάσσουσι τῇσι χερσὶ κτλ.* Pro verbis *μαλακοῦ ἐόντος*, cum supervacanea atque molesta sint duplexque ejusdem verbi participium quam maxime offendat, scribendum videtur *μαλακύνοντες*, quod egregie quadrat in proxima: *δέσμα τε προςφέροντες καὶ τεχνήματα ἐπιτήδεια.*

2. Ibid. §. 28 (I, 292) Scytharum mulieres propter pinguedinem narratur non foecundas esse: *οὐ γὰρ δύνανται ἔτι ξυναρπάζειν αἱ μῆτραι τὸν γόνον*, — *ἔτι*, quod omnino non habet, quo referri possit, jam Cornarius in versione latina omisit. Sed omnis difficultas tollitur si *ἔτι* in *εὖ* mutatur.

3. Ibid. §. 29 (I, 293) legis: *Ἔτι δὲ πρὸς τούτοισι εὐνουχίαι γίγνονται πλεῖστον ἐν Σκύθῃσι, καὶ γυναικεῖα ἐργάζονται, καὶ ὡς αἱ γυναῖκες διαλέγονταί τε ὁμοίως καλεῦνταί τε οἱ τοιοῦτοι ἀναρίες.* Hujus enunciati structura magnopere corrupta est atque contorta. Neque enim quae ratio intercedat inter singula membra perspicitur nec quomodo variae particulae *καὶ . . καὶ . . τὲ . . τὲ* inter se conjungantur. Quam difficultatem jam dudum homines docti senserunt, sed alius aliud conjecit, (cf. Ermerins. ad l.). Atque maxime offendit duplex *τέ*. Nam cum verba *ὡς αἱ γυναῖκες διαλέγονται* particula *καί* satis adnectantur, *τέ* post *διαλέγονται* molestum est ac si quis dicat, membrum particula *καί* inductum duplici *τέ* in duas partes dividi, is videat, quomodo e verbis sanum sensum eliceat. Equidem adverbium *ὁμοίως* censeo ab imperito quodam librario a conjunctione *ὡς*, ante quam positum erat, diremptum inque eum locum, ubi nunc inveni-

tur, esse transpositum. Quare legendum est: *καὶ γυναικεῖα ἐργάζονται, καὶ ὁμοίως ὡς αἱ γυναῖκες διαλέγονται . καλεῦνταί τε οἱ τοιοῦτοι ἀναριές.*

4. Magna difficultas inest in verbis, quae in libro de cap. vuln. §. 13 (I, 902) vulgo sic leguntur: *Ῥήγνυται δὲ τὸ ὀστέον . . . ὅταν ἕτερος ὑφ' ἑτέρου τιτρωσκόμενος ἐπίτηδες τρῶσαι βουλόμενος, ἢ ὅταν ἐξ ὑψηλοτέρης γίνηται ἡ βολὴ ἢ ἡ πληγὴ, ὁπότερ' ἂν ᾖ μᾶλλον* corruptelam jam inde a Scaligero homines docti senserunt neque autem satis probabiliter videntur sanasse. Praeclara est conjectura, quam Hermannus Sauppius, praeceptor maxime venerabilis, mecum communicavit quem secutus sic scribo: *Ῥήγνυται δὲ τὸ ὀστέον . . . ὁκόταν ἕτερος ὑφ' ἑτέρου τιτρωσκόμενος ᾖ, ὁκόταν ἐπίτηδες τρώσῃ, μᾶλλον ἢ ὁκόταν ἀέκων, καὶ ὁκόταν ἐξ ὑψηλοτέρου γίγνηται ἡ βολὴ ἢ ἡ πληγή, ὁκοτέρῃ ἂν ᾖ, μᾶλλον ἢ ὁκόταν κτλ.* Quae conjectura quam probabilis sit, facile concedes, si comparaveris scripturam codd. Med. et Parr., quae haec est: *ὁκόταν ἕτερος ὑφ' ἑτέρου τιτρωσκόμενος ἐπίτηδες ἔτρωσεν βουλόμενος, ἢ ὁκόταν ἀκέων καὶ ὁκόταν ἐξ ὑψηλοτέρου γίγνηται ἡ βολὴ ἢ ἡ πληγὴ ὁκοτέρῃ ἂν ᾖ μᾶλλον κτλ.*

5. De cap. vuln. §. 40 (I, 912). Verba valde corrupta Ermerinsius sibi visus est ita restituisse: *οὐ γὰρ ξυμφέρει τὴν μήνιγγα ψιλὴν εἶναι τοῦ ὀστέου . . . ἀλλὰ τελευτῶσα ἐσάπη τε καὶ διεμύδησε.* Sed primum e codicum scriptura *τελευτῶσα* (duo Parisienses et Mart. *τελευταῖον*) *πη* (vulg. *σάπη*) *καὶ* facilius videtur elicere: *τελευταῖον σαπῆναι.* Tum eis comparatis quae leguntur §. 23: *ὁ δ' αὐτὸς λόγος — σαπῆναι αὐτὴν (τὴν μήνιγγα) κίνδυνος,* sententia hunc fere in modum completur: *τελευταῖον σαπῆναι διαμυδῶσαν κίνδυνος,* comprobatur haec conjectura proximis: *ἔστι δὲ καὶ κίνδυνος,* de quo usu dicendi apud Hippocratem v. dissert. pp. 35 et 61 et Ermerins. adn. ad Progn. §. 3.

6. De vict. acut. §. 19 (I, 386) Ermerinsii conjectura: *ἔστ' ἂν οἴῃ γε* rejecta vulgatum *οἴηται* revocandum est. Neque enim verbum ad medicum referatur necesse est neque quid Ermerinsii *γέ* sibi velit, intellegitur.

7. Epid. III. aegr. 1 (II, 1059) vulgo legitur: *οὖρα δὲ κατὰρχὰς μὲν καὶ μέχρι τῆς ὀγδόης λεπτὰ, ἄχροα. ἐναιώρημα ἐπινέφε-*

λον. Verbis καταρχὰς μὲν praemissis, oppositio desideratur. Nam quod paullo infra legis μετὰ δὲ κρίσιν, non his, sed proximis περὶ κρίσιν respondet. Deinde cum status aegroti per singulos dies accurate definiatur μέχρι τῆς ὀγδόης, mirum est quod quaenam mutatio statim inde ab hoc tempore facta sit, reticet. Ex his, minus ex eo quod series dierum interrumpitur, id quod saepissime invenitur, conjeci, ab auctore additum fuisse Ἐνάτῃ δὲ, quae verba quam facile ante ἐναιώρημα ἐπινέφελον errore librarii excidere potuerint, elucet.

8. Epid. III, sect. 3, 1 (II, 1093) codices praebent: ἐν δὲ τῇ ρκ΄ ἡμέρῃ ἀπέθανε, Ermerinsius recte praepositionem rejecit, quam medici in diei significatione non solent usurpare. Sed ne verba τῇ δέ quidem ferri possunt. Auctor enim hujus Epidemiorum libri in enumerandis diebus certam legem sibi constituit, ita ut articulo apposito τῇ πρώτῃ, omisso constanter scribat: δευτέρῃ (rarius τῇ ὑστεραίᾳ), τρίτῃ, τετάρτῃ cet. Quare cum loci corruptela praepositione adscripta jam indicata sit, etiam reliqua additamenta delere non dubito.

9. Aphorism. sect. IV, 21 (II, 1249). Scriptura vulgaris haec est: ὑποχωρήματα μέλανα ὁκοῖον αἷμα μέλαν, ἀπὸ ταὐτομάτου ἰόντα καὶ ξὺν πυρετῷ, καὶ ἄνευ πυρετοῦ κάκιστα †††† καὶ ὁκόσα ἂν χρώματα πλείω καὶ πονηρότερα ᾖ, μᾶλλον κάκιον. Ermerinsius cum Galeno μᾶλλον κακόν. Sed superlativus praecedens κάκιστα gradationem μᾶλλον κάκιον postulare videtur, quam apud Graecos admissam fuisse docet: Il. Ω, 243, Herodot. I, 32, Aesch. Sept. 654, 673. Verba autem quae sequuntur κἂν πλείω χρώματα ᾖ, οὐ πονηρόν recentioris additamenti speciem prae se ferunt.

10. De humorr. §. 14 (I, 50). Omnia perturbata esse jam monet Ermerinsius in adnotatione. Ad verum sententiarum ordinem aliquantulum propius nos accessuros puto, si verbis: ἢν μᾶλλον πλεονάζῃ — τῷ σώματι statim subjicimus ἄλλος γὰρ — ὡς ἕκαστα, quibus cum ἄλλος ad id quod χυμός est, referendum sit, sine dubio auctor id accuratius illustrat, quod tetigit dicens: ὁκοιουτινοςοὖνχυμοῦ δυναστεύοντος. Deinde in extrema paragrapho collocanda sunt verba Ἀτὰρ ἀνυδρίαι — μέγα γὰρ καὶ τοῦτο. Hoc extremum autem, per

particulam γάρ illatum ad priora spectat ut infra §. 16 eadem verba.

11. De morbo sacro §. 1 (I, 301) sic scribo: ἐν τῷ ὕπνῳ οἶδα πολλοὺς οἰμώζοντας καὶ βοῶντας, τοὺς δὲ πνιγομένους, τοὺς δὲ καὶ ἀναΐσσοντάς τε καὶ φεύγοντας ἔγω καὶ παραφρονέοντας μέχρις ἂν ἐξέγρωνται, ἔπειτα δὲ ὑγιέας ἐόντας καὶ φρονέοντας, ὥσπερ καὶ πρότερον τοὺς αὐτοὺς (vulgo ἐόντας τ' αὐτοὺς, quae verba Ermerinsius ejecit) ὠχροὺς δὲ καὶ ἀσθενέας (vulgo ὠχρούς τε καὶ ἀσθενέας).

12. Ibid. §. 14 (I, 307): Γνοίη δ' ἄν τις τόδε μάλιστα τοῖσι προβάτοισι τοῖσι καταλήπτοισι γιγνομένοισι ὑπὸ τῆς νούσου ταύτης καὶ μάλιστα τῇσι αἰξί. αὗται γὰρ πυκνότατα λαμβάνονται καὶ ἢν διακόψῃς τὴν κεφαλὴν εὑρήσεις τὸν ἐγκέφαλον ὑγρὸν ἐόντα κτλ. Post verbum λαμβάνονται vulgo particula deest. Ermerinsius de suo inseruit γάρ. E postrema tamen syllaba praecedentis verbi facilius elicitur καί, quod loci rationi accomodatius videtur esse.

13. De affection. §. 35 (I, 525): Λέπρη . . . καὶ ἀλώπεκες ὑπὸ φλέγματος γίγνονται. καὶ κηρίον καὶ χοιράδες καὶ . . . ὑπὸ φλέγματος γίγνεται καί intensivum ante κηρίον omitti nequit, v. p. 58 sqq.

14. De internn. affection. §. 18 (I, 541), ubi legis: ὁκόσῳ δ'ἂν πλείων χρόνος προΐῃ καὶ ἀπομηκύνηται, ἥ τε ὀδύνη ὀξυτέρη καὶ κατέρχεται κατωτέρω, καὶ ὁκόταν ἐς τὸ σφυρὸν ἀφίκηται τὸ ἐκτὸς τοῦ ποδὸς καὶ τὸ μεταξὺ τοῦ μεγάλου δακτύλου, ἐς τὴν ῥάχιν πάλιν ἀνέρχεται, verba quae sunt καὶ τὸ μεταξὺ τοῦ μεγάλου δακτύλου aut *H* et *Θ* codicum auctoritate omittenda sunt aut ante τὸ μεταξὺ praepositio iteranda est ut in initio paragraphi.

15. De internn. affection. §. 39 (I, 553) sic lege: Εὐθέως οὖν πυρετοὶ ἔχουσι ἰσχυροὶ καὶ καῦμα ὀξὺ καὶ ὑπὸ τοῦ βάρεος ἀσθένεια καὶ ἀκράτεια τῶν σκελέων καὶ τῶν χειρῶν μάλιστα γίγνεται. καὶ ἡ γαστὴρ ταράσσεται καὶ τὰ ὑποχωρέοντα δυσώδεα καὶ στρόφος ἰσχυρὸς ἐπιγίγνεται. Ἢν δὲ ταῦτα πάσχῃ καί τις ἀναστῆσαι θέλῃ αὐτὸν οὐ δύναται ὀρθοῦσθαι, οὐδὲ τοῖσι ὀφθαλμοῖσι ἀνορᾶν δύναται ὑπὸ τοῦ καύματος κτλ.

16. Ibid. §. 42 (I, 555) cum Lindenio legendum est:

οἶνον δὲ πινέτω μέλανα αὐστηρὸν, καὶ ἕως ἂν καταστῇ ἡ νοῦσος, ταῦτα προςφερέσθω.

17. De natura hominis §. 3 (I, 225): *Ἀνάγκη τοίνυν τῆς φύσιος τοιαύτης ὑπαρχούσης καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων καὶ [τῆς] τοῦ ἀνθρώπου, μὴ ἓν εἶναι τὸν ἄνθρωπον.*

18. De morbis II, 24 (I, 469) scripturam quae est: *Τερηδών. ὅταν τερηδὼν γένηται ἐν τῷ ὀστέῳ, ὀδύνη λαμβάνει ἀπὸ τούτου τοῦ ὀστέου* Lindenius et Littréus recte receperunt e codicibus E. H. I. J. K. L. Marc. (Ermerins. cet. *ἀπὸ τούτου τὸ ὀστέον*), cf. ibid. §. 7 (I, 463): *Τερηδών. ὅταν τερηδὼν γένηται ἐν τῷ ὀστέῳ, ὀδύνη λαμβάνει ἐκ τοῦ ὀστέου.*

19. Ibid. II, 47 (I, 475—476) in editionibus legis: *ἢν μὲν παχὺ ᾖ τὸ πῦον, πυριᾶν. ἢν δὲ λεπτὸν, ἐγχεῖν. καὶ τῶν σιτίων ἔχεσθαι ὡς μάλιστα καὶ τῶν δριμέων ἀπέχεσθαι καὶ κρεῶν βοείων καὶ οἰείων καὶ χοιρείων.* Primum *τοῖς σιτίοις* perperam *τὰ δρίμεα* opponuntur. Deinde quaesita ratio dicendi *τῶν σιτίων ἔχεσθαι* (Cornarius: cibis quam maxime adhaereat) offendit. Sententia lacunosa videtur atque scribendum propono: *καὶ τῶν σιτίων †† χρῆσθαι ὡς μάλιστα καὶ τῶν δριμέων ἀπέχεσθαι κτλ.* Post genetivum partitivum *τῶν σιτίων* excidit dativus adjectivi, quod desideratur, cf. ibid. §. 49 (I, 478): *Τοῦτον χρὴ ἐλλέβορον πιπίσκειν καὶ φάκιον καὶ εὐωχέειν ὡς μάλιστα, ἀπεχόμενον τῶν δριμέων καὶ βοείων καὶ χοιρείων καὶ οἰείων, καὶ γυμνάζεσθαι ὀλίγα καὶ περιπατέειν, καὶ ἀπὸ σιτίων ἐμέτοισι χρῆσθαι καὶ λαγνείης ἀπέχεσθαι.*

20. Ibid. II, 50 (I, 478) vulgo legitur: *τὴν δὲ κάτω κοιλίην μὴ κινέειν φαρμάκῳ, ἢν μὴ οἱ πυρετοὶ λαμβάνωσι ἰσχυροί. ἢν φαρμάκῳ, ἢν δὲ μὴ λαμβάνωσι, γάλακτι ὄνου ὑποκαθαίρειν.* Scribendum videtur: *Τὴν δὲ κάτω κοιλίην μὴ κινέειν φαρμάκῳ, ἢν μὲν οἱ πυρετοὶ λαμβάνωσι ἰσχυροί. ἢν δὲ μὴ λαμβ. κτλ.*

21. De medico §. 14 (I, 22): *Τὸν μὲν οὖν μέλλοντα χειρουργεῖν στρατεύεσθαι δεῖ κτλ.* Post vocem *μέλλοντα* intercidit *τὰ τοιαῦτα.*

Corrigenda.

Pag. 3, lin. 31: *παιδίον.* — p. 4, l. 27: *οὐκ ἂν εἴησαν.* — p. 7, l. 13: *οἶσι.* — p. 7, l. 36: *ἐς κεφαλὴν.* — p. 15, l. 10: *χειμῶνος.* — p. 16, l. 27: *ἕως μὲν.* — p. 17, l. 3: id quod. — p. 24, l. 7: *φλεγματώδεες.* — p. 24, l. 19 interiisse. — p. 25, l. 17 ξυστρέφεται. — p. 48, l. 2: oppositionem. — p. 62, l. 35: ἔχον τε. — p. 72, 31: γεγονέναι. — p. 78, *l. 12: οὖν.* —

Index locorum notabilium.

De aëre aquis locis §. 6 (I, 283) . . 63
— §. 19 (I, 288) . . 69
— §. 21 (I, 289) . . 99
— §. 24 (I, 291) . . 50
— §. 25 (I, 291) . . 57
— §. 25 (I, 291) . . 60
— §. 26 (I, 291) . . 49
— §. 26 (I, 292) . . 46
— §. 27 (I, 292) . . 21
— §. 28 (I, 292) . . 99
— §. 29 (I, 293) . . 99
— §. 29 (I, 293) . . 90
— §. 30 (I, 293) . . 69
— §. 30 (I, 293) . . 89
De capitis vulnerib. §. 13 (I, 902) . 100
— §. 30 (I, 913) . . 22
— §. 31 (I, 913) . . 44
— §. 40 (I, 912) . 100
De victu acutor. §. 3 (I, 383) . . 46
— §. 8 (I, 384) . . 46
— §. 15 (I, 385) . . 57
— §. 17 (I, 386) . . 66
— §. 19 (I, 386) . 100
— §. 24 (I, 387) . . 60
— spur. §. 14 (I, 398) . . 41
— §. 16 (I, 399) . . 79
— §. 34 (I, 402) . . 74
— §. 49 (I, 404) . . 88
Epid. I, 1 (II, 938) 34
— III, 3, 7 (II, 1086) 36
— III, 1 (II, 1059) 100
— III, 3, 1 (II, 1093) 101
— II, 1, 8 (II, 1006) 61
— II, 2, 19 (II, 1020) 62
— II, 4, 5 (II, 1037) 46
— VI, 2 (II, 1168) 54
Aphorism. IV, 21 (II, 1249) 101
— V, 56 (II, 1255) 53
Coaca 495 (I, 196) 46
— 588 (I, 215) 93
De natura hominis §. 3 (I, 225) . . 20
— §. 3 (I, 225) . 103
— §. 5 (I, 226) . . 20
— §. 10 (I, 228) . . 89
— §. 14 (I, 230) . . 39
— §. 15 (I, 230) . . 39
De morbo sacro §. 1 (I, 301) . 102
— §. 8 (I, 304) . . 24
— §. 14 (I, 307) . 102
De locis in hom. §. 1 (I, 408) . . 84
— §. 6 (I, 411) . . 64
De humoribus §. 14 (I, 50) . 101
De medico §. 14 (I, 22) . . 60
— §. 14 (I, 22) . 103
De flatibus §. 3 (I, 296) . . 45
De affectionibus §. 1 (I, 516) . . 39
— §. 35 (I, 525) . 102
De internn. affect. §. 18 (I, 541) . 102
— §. 39 (I, 553) . 102
— §. 42 (I, 555) . 102
De morbis I, 5 (I, 448) 39
— I, 8 (I, 449) 40
— I, 19 (I, 454) 72
— I, 20 (I, 454) 35
— II, 14 (I, 466) 42
— II, 24 (I, 469) 103
— II, 27 (I, 470) 42
— II, 47 (I, 475—476) . 103
— II, 50 (I, 478) 103
— III, 16 (I, 493) 40
Lex, de arte, de vet. med. §. 20 (I, 9) . . 84
— §. 33 (I, 14) . . 72
De fractis et articulis §. 3 (I, 752) . . 67
— §. 8 (I, 752) . . 40
— §. 60 (I, 789) . . 25

